


J. S. Mock Inv. et del. E. Zucchi sc.

CONSTITUTIONES
&
DECRETA
Synodi Diœcesanæ Plocensis.
sub
Illustrissimo Excellentissimo Reverendissimo
Domino
D. ANDREA STANISLAO KOSTKA
in Załuskie
ZAŁUSKI
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ EPISCOPO PLOCENSI
Pultoviæ
Anno Domini MDCCXXXIII. Die 4. Augusti.
CELEBRATÆ.

VARSAVIÆ Typis Collegii REGII Societatis JESU. Anno D. 1735.

Ad
Jllustrissimum Excellentissimum ac Reverendissimum Antistitem Plocensem, Nominatum Luceoriensem, Supremum Regni CANCELLARIUM.

ORATIO DEDICATORIA.

COoperit vel hanc primam præliminaris paginæ faciem justa confusio ubi Tuo sistitur obtutui. ANTISTES JLLUSTRISSIME. *Pridem jam etenim Synodalium hic Codex Legum in publicam prodire lucem, ac ad Præsuleas devenire, an potiùs redire debuerat manus (& devenisset procul dubio) nisi exlex retro lapsorum annorum obicem posuisset vicissitùdo. Temporum proinde injuriæ, non nostræ* PRÆSUL OPTIME *adscribe incuriæ, tantam in deferendo hoc* TIBI *moram obsequio, cui frustra alas addere, noster suum erga* PASTOREM *conabatur amor, dum undiq; millenis hactenùs premeremur obstaculis. Quodsi commum effato inter arma silere cogantur leges, quid mirum! si hæc quoq; Synodalium*

edicta legum, strictum tantisper quodammodo silentium, inter districtos enses tenere debuerint, donec respirante tandem ab hac luctuosa temporum tempestate Patria, suam darent vocem in pagina, ut eo vocaliùs Tuorum fama rectefactorum, totum qua latè patet Sarmaticum divulgaretur per Orbem. Quanquam nec potest liber hic Tuo non militare Honori, in quo, quot verba, tot vivæ Tuæ vocis oracula, quot Decreta, tot immortalia gloriæ Tuæ leguntur authographa. Quidquid enim angustis hisce impressum cernes paginis, totum id longè augustiùs in Te, *viva exemplarissimæ vitæ Idæa expressum, nemo est qui non videat. Hinc esto cætera [quæ in* Te *videmus innumera] omnigenæ Tuæ probitatis deessent indicia, vel ex ipso hujus Synodi compendio, facilè illam quisq́; colligeret: ubi nihil sanxisti, nisi quod priùs ipse observâsses sacrosanctè; nihil inhibuisti, nisi quòd à* Te *semper erat alienum, & ut verbo concludam, non aliunde nisi ex* Te *Ipso, sanctiorem nobis vivendi præscripsisti formam. Et certè credo ego & scio* Præsul Æstimatissime, *unicum id Pastoralis Tuæ circa nos solicitudinis fuisse votum, ut cùm Ipse sis optimus, omnes nos Tuo subjectos regimini, quàm optimos, hoc est Tui quàm simillimos efficeres. Nec assentatoriæ hæ sunt reverentis calami auxeses, verùm Sole clarior Tuarum narratio laudum, imo etsi nihil de* Te *loqueremur, disertiùs ipsa Tua testarentur rectefacta, quidnam egeris imò quidnam non egeris pro communi Tuæ Diœceseos bono. Leva oculos & vide* Pastor *vigilantissime quantam Dextera Domini Tecum ac per* Te *in ea fecit virtutem, dum quà salutaribus monitis, quà integerrimæ vitæ exemplis novam illi rerum indidisti faciem, postquam*

cun-

cuncta ad meliorem redegisti ordinem, suum Templis cultum, Aris restituendo splendorem, ac in sterilescente quodammodo, tot inter vitiorum zizania, Vinea Domini, extirpatis radicitùs vitiosis sentibus, recentes ubiq; virtutum implantando propagines. Videmus enim Tuo sub regimine exemplaritatem in Cl ro, devotionem in populo, in viris gravitatem, in juvenibus verecundiam, in pueris disciplinam: videmus restaurata Sanctuaria, extructas Aras, & quas, tempus edax, Ecclesiis, Urbibus, Justitiæ Sacrariis, intulerat, reparâsti injurias, ruinarum imperterritus vindex. Quanta hinc ergo Tuæ gloriæ pullulat messis, ex tam copioso laboris Tui Pastoralisq; vigilantiæ fructu? quanta in cordibus universorum excrescit exultatio? tanto beari PRÆSULE, *qui benefici sideris more, non potes publicæ non prodesse utilitati. Sed ò breve nimis [duodenario annorum cinctum zodiaco] Nostræ Diœceseos solatium, cùm ubi maximè de* TE *nostro lætari deberemus* ANTISTITE, *jam dolere cogimur, quibus amœnam hilaritatis frontem, unà cum vultus Tui subtrahis sereno, Luceoriensi novum sidus affulsurus hemisphærio. Atsiste nonnihil gradum Inclyte grandium honorum Stadiodrome, gementisq; populi, quæ* TE *detinent vota, excipe. Itane* PASTOR *desideratissime gregem Tuum deseris! quem non in virga ferrea ad terrorem, sed in Spiritu lenitatis regebas & regis ad amorem. Itane quos Tuis animâsti favoribus, fovisti gratiis, beneficiis cumulâsti, luctuoso cibas pane lachrymarum! ac penè momento perimis, dum à nobis avelleris. Ponimus interim dolori modum, ne Tuæ injuriosi videamur gloriæ, & licet justus ex una parte de Tui amissione sauciet corda dolor, ex altera tamen est, quod hunc ipsum leniat, ubi* TE *in Supremo MAGNI CAN-*

CELLARII Honoris constitutum fastigio & Tuo Nomini & nostræ gratulamur fortunæ. Et certè sic omnem decuit explere justitiam, ut pro mensura meritorum, par quoq; honorum responderet celsitudo, TIBIq; Præsulum Gemmæ, Sigillaris Regni concrederetur gemma. Decuit imò debuit ut Avito ZAŁUSCIANI Nominis AGNO, non solùm mysteria, sed & Regni paterent ministeria, qui se totum jam pridem in victimam devovit Ecclesiæ & Patriæ. Cedimus itaq; privatis nostris dum TE publica avocant commodis: quanquam etiam nostræ non postremus hic est titulus fortunæ, TE Nostrum PRÆSULEM, tantis in facie Regni grandescere titulis, quibus ad Supremam gloriæ evectus augem, pro innata clementia beneficos gratiarum in nos haud desines spargere influxus. Et quoniam PATER ac PRÆSUL OPTIME sic placitum est ante TE, sicq; annuentibus Populorum, Quiritum, totiusq; Sarmatiæ, ratum, fixum, conclusumq; votis, ut Luceoriensis jam audias Antistes. Perge à nobis, at non sine nobis utpote quem nostris semper comitabimur affectibus; nos verò Sigillari Tuæ gemmæ SUPREME Regni CANCELLARIE, hæc candida inaramus vota: tamdiu, ò Decus Antistitum, de Ecclesia, Patria, mereare, donec fortunam in TE præmiando fatiges: Emetiare facilis, quidquid in Regno celsissimum, ultra montes eminentissimum, bene enim novimus, quòd etiam ex tanta sublimitate oblivisci non voles Diœcesis hujus, quæ tota, quanta est, cum suo Clero nunquam intermoritura veneratione, PRÆSULEIS TUIS se adsternit plantis. Ita vovet & precatur totius Diœceseos Nomine.

Honori & Nomini

Jllustrissimæ Celsitudinis Tuæ.

Devinctissimus & obsequentissimus servus
PAULUS DOMINICUS DROMLER U. J. D.
Archidiaconus in Cathedrali Plocensi Pultoviensis
Synodi Promotor.

In Nomine Domini Amen.
Acta Synodi Diœcesis Plocensis

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Trigesimo Tertio. Indictione Romana XI. Pontificatûs Sanctissimi Domini Nostri Papæ CLEMENTIS Ejus Nominis XII. Anno III. Diebus verò quartâ & quintâ Mensis Augusti. In Ecclesia Collegiata Pultoviensi.

PRæsidente Jllustrissimo & Reverendissimo Domino Domino ANDREA STANISLAO KOSTKA *in Załuskie* ZAŁUSKI DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Episcopo Plocensi.

Præsentibus itidem: Jllustrissimis & Reverendissimis MARTINO ZAŁUSKI Episcopo Drazdensi, Suffraganeo ac Decano Plocensi, Secretario Regni. Adamo Rostkowski Episcopo Philadelphiensi, Suffraganeo Luceoriensi, Archidiacono in Cathedrali Plocensi Dobrynensi, Præposito Varsaviensi & Pultoviensi. JOSEPHO ZAŁUSKI Archidiacono in Cathedrali Plocensi, Pultoviensi, Canonico Cracoviensi, Referendario Regni.

Perillustribus, Jllustribus & Admodum Reverendis: Adalberto Mdzewski Archidiacono & Officiali Generali

Plocensi. Casimiro Łępicki, Gregorio Konarzewski, Casimiro Rokitnicki, Paulo Dominico Dromler Uq;. J. D. Causarum Curiæ Suæ *Celsitudinis* Auditore, Paulo Rosciszewski, Ecclesiæ Cathedralis Plocensis Canonicis. Reverendissimo Valentino Zołtowski Ordinis S. Benedicti Conventûs Plocensis, Abbate Coadjutore. Balthasaro Nowowieyski, Francisco Włoszkiewicz, Dominico Węgrzynowski, Petro Henik, Matthæo Niski, Stanislao Potkański, Antonio Formica, Medicinæ Doctore; Josepho Synhaiewski, Ecclesiæ Collegiatæ Pultoviensis Canonicis. Josepho Gułkowski, Martino Strachocki Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ Plocensis, ac respectivè ex Capitulis suis; Nuncijs:

Ex Decanatu Plocensi: Adalberto Motyliński, Decano Foraneo Plocensi, in Sykorz; Simone Przedpelski, in Wozniki, Curatis. Adamo Wilgieński, Præposito S. Spiritûs Plocensi.

Ex Decanatu Dobrzynensi: Andrea Zakrzewski, Decano, in Sobowo; Mathia Miłodrozki, in Dobrzyń, Curatis.

Ex Decanatu Pultoviensi: Josepho Komorowski, Decano in Zgierz, Joanne Bagiński, Canonico Honorario Pultoviensi, in Gzy; Jacobo Czachorowski in Szyski, Paulo Koźniewski in Winnica, Petro Lorkowski in Dzierżenin, Curatis.

Ex Decanatu Bielscensi: Balthasaro Drozdowski, Decano, in Biała; Josepho Sieklicki, Ordinis S. Benedicti in Bielsk, Curatis.

Ex Decanatu Sieprcensi: Simone Rudzki, Decano, Hospita-

ſpitalis S. Spiritûs; Staniſlao Dąbſki, Canonico Honorario Plocenſi, Sieprcenſi, Præpoſitis; Andrea Dudkiewicz in Szczutowo, Curato.

Ex Decanatu Bodzanovienſi: Joanne Gierwatowſki, Decano, in Orſzumowo, Andrea Kraſzewſki, in Pilichowo, Curatis.

Ex Decanatu Wyſsogrodenſi: Paulo Winnicki Decano, in Gumino, Caſimiro Mikorſki, Ordinis S. Auguſtini, Canonico Regulari Lateranen: in Skołatowo; Balthaſaro Brygiewicz Ordinis S. Sepulchri Chriſti, in Wyſzogrod: Antonio Zawiſtowſki in Kobylniki, Joanne Gąsiorowſki in Radzyki.

Ex Decanatu Raciążenſi: Joanne Rychlicki Decano, in Jeżewo, Franciſco Peydzyńſki in Raciąż.

Ex Decanatu Bieżunenſi. Antonio Bełkowſki Decano, in Skrwilno, Mathia Jędrzycki, Canonico Honorario Pultovien: in Chamſk, Mathia Swiętochowſki in Lutoczyno, Valentino Kowalewſki in Zawidz.

Ex Decanatu Srenenſi: Adalberto Przełęcki, Decano in Kuczbork, Luca Czernicki in Sarnowo, Franciſco Rozwadowſki in Radzanowo.

Ex Decanatu Mławenſi: Adamo Budźińſki, Decano, in Zmijewo, Mathia Cwierczakowicz, in Wyſzyny, Thoma Sękowſki in Dzogurzyno, Laurentio Koziecki in Niedzborz.

Ex Decanatu Janovienſi: Adamo Niſki, in Krzynowłoga majori, Gregorio Gadomſki, in Chorzele, Adalberto

Miecznikowski, Ordinis S. Augustini, Canonico Regulari Lateranen: in Wieçsnia, Michaële Gąsiorowski in Dzierzgowo, Josepho Kowalewski in Grzebsko.

Ex Decanatu Prasnensi: Adalberto Kozakiewicz, Decano in Bogale, Felice Szymanowski, Ordinis S. Augustini Canonico Regulari Lateranensi in Krasne, Simone Zebrowski in Węgra, Thoma Szemplinski in Węgrzynowo, Paulo Konarzewski in Gołymino, Stanislao Uzdowski in Zielona.

Ex Decanatu Ciechanoviensi: Andrea Strusinski, Decano, in Lekowo; Francisco Zaleski, in Lysakowo; Alexandro Janiszewski, in Ciechanowo, Adamo Miłobęcki in Czernice.

Ex Decanatu Novocivitatensi: Gregorio Grotkowski Decano, in Sochoczyno, Josepho Brochocki, Ordinis S. Augustini, Canonico Regulari Lateranen: in Nasielsk; Francisco Łempicki in Czechcino, Raphaele Brochocki in Nowemiasto, Casimiro Rozenski in Sask.

Ex Decanatu Płonscensi: Adalberto Miłobęcki Decano, in Glinoiecko, Francisco Miecznikowski in Baboszewo, Joanne Moszyński in Sarbiewo, Martino Tyszka in Maluzyno.

Ex Decanatu Zakroczymensi: Jacobo Łempicki, Decano in Zakroczym, Paulo Komoszewski, Ordinis S. Augustini, Canonico Regulari Lateranensi in Pomnichowo, Felice Wisniewski, Ordinis S. Augustini, Canonico Regulari Lateranen: in Kamienica, Joanne Krysielewicz in Joniec.

Ex

Ex Decanatu Gostynensi: Michaéle Serowski Canonico Collegiatæ Plocensis, in Gostynin.

Ex Decanatu Lipnensi: Petro Chądzyński Decano, in Czerniechowo, Andrea Polytowski in Lipno, Francisco Bielski in Łążyno.

Ex Decanatu Rypinensi: Luca Zrzelski Decano, in Zale; Laurentio Bagiński in Sadłowo.

Ex Decanatu Gurznensi.: Matthæo Zieleniewski Decano, in Osiek; Antonio Sulewski in Jastrzębia, Valentino Burdźiński in Brzożia, Valentino Czechowicz in Swiedźiebna, Clemente Antasz, Ordinis Miechovitarum SSmi Sepulchri Christi in Gurzno.

Ex Decanatu Makoviensi: Francisco Modzelewski Decano, in Makowo; Stanislao Bastkowski in Gąsewo; Josepho Damięcki in Swielice.

Ex Decanatu Wiscoviensi: Abrahamo Davidis, Canonico, Honorario Pultovien: Decano, in Goworowo; Martino Wiśniewski, Canonico Honorario Pultoviensi in Barćice, Petro Gorgius in Pniewo, Josepho Cieszelski in Obryte, Paulo Smoszewski Ordinis S. Benedicti, in Zamsk; Hieronymo Modłkowski in Łubiel; Petro Kuciński in Długosiodło. Fabiano Szczepkowski in Troszyn.

Ex Decanatu Ostroviensi: Bartholomæo Gutowski in Ostrow, Adamo Kossowski Ordinis S. Aug: Can: Reg: Lat: in Lubotin; Martino Gutowski in Złotoria. Antonio Małkiński in Jelonki.

Ex Decanatu Andrzeioviensi: Josepho Łącki, Canonico

Honorario Plocensi, Decano, in Nur; Stephano Ramotowski, Canonico Honorario Plocensi, in Czyżewo; Matthæo Łada in Zambrowo, Stephano Głowczyński in Rutki, Josepho Czarzasty in Zaremby.

Ex Decanatu Łomzensi: Josepho Trzaska Decano, in Kleczkowo; Alexandro Mokronowski Canonico Honorario Plocensi, in Nowogrod, Joanne Bieńkowski, in Rzekuń.

Ex Decanatu Wiznensi: Jacobo Sokołowski Decano in Radziłowo, Stanislao Borawski, in Przytuły, Stanislao Tafiłowski, in parva Płocko,

Ex Decanatu Wąssosensi: Jacobo Bruliński Decano, in Wąssosze; Stanislao Słucki in Słuck; Adalberto Obidziński in Lachowo, Laurentio Bobr, in Niedzwiadnia.


Ex Decanatu Camenecensi: Francisco Lobertij Decano, in Kamieńczyk; Nicolao Olędzki, in Niegowo, Thoma Wielgowicz, in Postoliska, Adalberto Szulkowski in Stoczek, Thoma Noiszewski in Korytnica.

Ex Decanatu Stanislavoviensi: Matthæo Dąbrowski Decano, in Okuniewo; Josepho Staniewicz, Canonico Kruświcensi in Kobyłka. Adalberto Rogulski in Pniewnik, Marcellino Zbroski in Klembowo.

Ex Decanatu Radziminensi; Adalberto Bieglecki Decano, in Radzymin; Carolo Kreni U.J.D. Can: Honorario Pultoviensi, in Skaryszewo. Thoma Wieszczycki Ord: S. Aug: Can: Reg: Lat: in Tarchomino, Matthæo Krzywczyński in Okunino, Præpositis, & respectivè Curatis, ac alijs plurimis Commendarijs, Vicarijs, cæterisq; Presbyteris.

PRævia deductione suæ ILLUSTRISSIMÆ CELSITUDINIS *processionaliter ex Arce Pultoviensi, ad dictam Ecclesiam Collegiatam Die Quarta Augusti, horâ nonâ matutinâ, Missa de* Spiritu S. *per suam* ILLUSTRISSIMAM CELSITUDINEM *pontificaliter celebrata fuit. Orationibus verò & Cæremonijs juxta præscriptum Pontificalis Romani peractis, infrascriptæ Constitutiones conditæ, lectæ, & à Singulis receptæ sunt.*

INTI-



INTIMATIO SYNODI.

ANDREAS STANISLAUS KOSTKA *in Załuſkie* ZAŁUSKI DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Plocenſis.

UNiverſo Clero tam Sæculari, quàm Regulari, Diœceſis Noſtræ Plocenſis, Iisq; omnibus, Qui de Jure & conſvetudine Diœceſanæ Synodo tenentur intereſ-

se, salutē in Domino, & Benedictionē Pastoralem. Vigilantissima, ac in omnes sui partes circūspectissima, utriusq; Statûs Xsti Fideliū Gubernatrix Ecclesia, Episcoporū munꝰ & Officiū speciali lege definiens, non satis esse censuit, Parochias, earumq; Rectores, Visitationi Generali subÿci, Congregationibus Decanalibus, cunctos ad vitam juxta normam Sacrorum Canonum instituendam cogi, & compelli, nisi etiam id ipsum Synodali Sanctione, sententÿs, & Decretis statuatur, atq; promulgetur. Unde per Sacrosanctum Concilium Tridentinum Sess. 24. Cap. 2. de Refor: haberi voluit, præcepitq;, quatenùs Synodi Diœcesanæ quotannis celebrentur, proq; moderandis moribus, corrigendis excessibus, Controversÿs componendis Statuta Synodalia innoventur. Expedivimus jam dudum Visitationem Generalem, Congregationes Decanales opportunè atq;

cum

cum fructu peractæ sunt, nil nobis restare judicamus, quàm Synodum Diœcesanam indicere, cogereq́. Ad hanc ejusmodi obligationem tantò magis nos accingimus, quantò majores necessitates occurrere, casus, quibus sanandis omnino incumbendum est, novos emergere conspicimus. Stimulat præterea ab annis permultis, eò usq́, propter varias temporum vicissitudines, intermissæ Synodi Diœcesanæ celebratio; Quapropter ut & præcensitæ obligationis morem geramus, omnem pravitatem de medio Gregis nostri auferamus, errantesq́ in viam planam reducamus, hanc Synodum indicendam, cogendam, intimandamq́ esse duximus; prout & defacto per præsentes Literas Nostras indicimus, atq́ intimamus; illiq́ diem celebrandæ, Vigesimam Septimam Mensis Julij, Anni præsentis præfigimus, assignamus ac determinamus. Ut autem debita

 cum

cum solennitate peragatur, ad illam Venerabile Capitulum Nostrum Cathedrale Plocense, Reverendissimos Abbates, Præpositos, & eos, qui de Jure & consvetudine interesse tenentur, invitamus. Requirimus insuper Capitula Ecclesiarum Collegiatarum, Insignis Pultoviensis & Plocen: mandamusq́ Dominis Decanis & Parochis, & alijs curam animarum quomodocunq́ exercentibus, ac singulis, qui in hac nostra Diœcesi Plocensi Beneficia possident, seu Officia Ecclesiastica obtinent, idq́ in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis Jure sancitis, ut pro die supramemorata, ac duabus diebus immediatè sese sequentibus, in Ecclesia Nostra Collegiata Pultoviensi, ante horam nonam matutinam, habitu quisq́ & tonsurâ convenientibus, & superpelliceati peremptoriè compareant; sicq́, ut præmittitur, indictæ Synodo præsentes adsint & assistant.

Ne

Ne autem hocce Synodali tempore, cura animarum & alia Officia Ecclesiastica, aliquod detrimentum patiantur, respiciendo paupertatem nonnullorum, atq; à Civitate Pultovia longè habitantium Parochorum, viarum incommoda; quatenùs unusquisq; Decanus & ejus Beneficiati, hocce obligationis munus, per Commissarios, jam aliàs in Congregationibus Decanalibus electos & destinatos adimpleant, Paternè dispensamus ac permittimus. Eos verò, qui nomine cæterorum ad hujusmodi Conventum Synodalem sese conferent, ut suas Ecclesias, si fortè Vicariys carent, substitutis Sacerdotibus, sive Sæcularibus, sive Regularibus, modò non vagis, non suspensis, nec Censuris Ecclesiasticis irretitis, sedulò commendent, ordinamus. Ut autem huic Nostræ ordinationi plenè satisfiat, DD. Decanorum Officium hac in parte adstringimus, volumusq;,

 qua-

quatenùs ÿdem DD. Decani, quisq; sui Decanatûs Commissarios, an omnes adsint? diligenter inspiciant, suiq; Decanatûs, Ecclesiarum Parochialium, cum expressione, quæ sunt consecratæ, & quæ non? idq; tam vacantium quā & non vacantium, tum actu existentium Parochorum, Vicariorum, Mansionariorum, Altaristarum, specificè cum adnotatione Nominum & Cognominum Catalogum conscribant, ac pro Termino Synodali ferant & producant. Tandem, ut hic actus Synodalis feliciter & cum Ecclesiarum utilitate peragatur, ut omnes Presbyteri tam Sæculares quàm Regulares, singulis Diebus Dominicis, post publicationem præsentis Edicti Nostri, in Missis, Collectas de Spiritu S. *recitent; utq; Dominus Omnipotens, consilia Nostra particulari & superna sua Benedictione præveniat & prosequatur, orationibus Christi Fidelium,*

præ-

præcipuè post concionem seriò commendent, mandamus, & obligamus. Volumus insuper & mandamus, ut præsentes Nostræ Innotescentiales literæ, per affixionem copiarũ valvis Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Plocensis, Collegiatarum & aliarum Ecclesiarum, tum per Decanatus, viâ solitâ cursoriâ publicentur, atq; per eas taliter affixas & publicatas, singula prout mandantur, ita omnes comprehendant, & adstringant, ac si eorum cuilibet personaliter & expressè forent intimatæ. Certificantes ipsos, qui de Jure & consvetudine, Synodo hujusmodi interesse tenentur, quòd sive in Termino præfixo comparuerint, sive non; Nos nihilominùs ad celebrationem Synodi præfatæ, cum adjutorio Gratiæ DEI procedemus, & ea, quæ pro utilitate Ecclésiarum Diœcesis Nostræ fore videbuntur, decernemus & constituemus; contumaciâ cujuscunquè non obstante, pœnis tamen, prout de Iure

contra inobedientes & absentes inflictis & extensis. In quorum fidem &c. Datum Pultoviæ Die Decimâ Mensis Julij Anno Domini 1733.

ANDREAS EPISCOPUS.

(L. S)

Joannes Ignatius Temezvari Apostolicus Causarum Curiæ suæ JLLUSTRISSIMÆ CELSITUDINIS & Consistorij Generalis Pultovien: Notarius.

APpropinquante Termino indicto; quoniam imminebat solennis eductio Corporum glor: mem: Serenissimorum Regum Poloniæ AUGUSTI II. & JOANNIS III. cum Serenissima ejus Conjuge MARIA, Varsaviâ Cracoviam, & JLLUSTRISSIMUS ac REVERENDISSIMUS DOMINUS EPISCOPUS sermonem funebralem, dicturus, Varsaviam pro tali Actu se contulit, prorogatus est terminus, viâ cursoriâ, per omnes Decanatus; ad diem quartam Mensis Augusti Anni currentis.

IN

Jn Nomine Domini Amen.

CONSTITUTIONES

Acta & Statuta Synodi Diœceſanæ Plocenſis.

CAPUT I.

De Fide Catholica, ejusq́; Profeſſione.

Fides Catholica iuſtitiæ & ſanctitatis caput, initium, fundamentumq́; & radix juſtificationis noſtræ, tametſi firmiter in Ducatu Maſoviæ, Palatinatu, totaq́; Diœceſi Noſtra Plocenſi, Patrijs ſit ſtabilita legibus, altèq́; in cordibus gregis Noſtri impreſſa, ut vitam ſibi potiùs, quàm fidem vitâ cariorem, eripi patiantur; cùm tamen motivum & finis præſentis Synodi non ſit aliud, niſi major DEI gloria, ſalusq́; animarum, quæ cùm ſinè Fide, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, nullatenus ſubſiſtere & obtineri valeat, ideo, quidquid à Chriſto Domino, à Sanctis Apoſtolis, per ſcripturam,

ſive traditionem accepimus, quidquid Sancti Patres commendaverunt, Oecumenica Concilia definiverunt, Summi Pontifices approbaverunt & conſtituerunt, ac ab Eccleſia credendum declaraverunt, quidquid deinde Provinciales Synodi Regni hujus, à S. Romana Eccleſia, approbatæ decreverunt, id totum obſervandum eſſe cenſuimus, & ab omnibus obſervari præcipimus. Imprimis itaque, totis præcordiorum Noſtrorum medullis, Sanctam Fidem Catholicam unam, ſolam ac infallibilem veritatis Magiſtram agnoſcimus; & ſicut unum Deum colimus, unamq; cæleſtem hæreditatem exambimus, ita eandem in fide, mundam & immaculatam tenemus unitatem; omnia, quæcunq; Sancta Mater Eccleſia credenda propoſuit ac proponit, credimus ac admittimus, illaq; juxta præſcriptam à Pio IV. Formulam, quæ incipit. *Injunctum.* pia compoſitione animorum profeſſi ſumus. Et quia corde credi debet ad juſtitiam, ore autem profitendum eſt ad ſalutem, ad hanc profeſſionem Fidei emittendam, obligatos eſſe volumus, & auctoritate præſentis Synodi decernimus: ut omnes Beneficiati iſtius Diœceſis, qui circa ſuas Inſtitutiones, perſonaliter non præſtiterint hanc Profeſſionem Fidei, eandem, intra decurſum duorum menſium, à data Inſtitutionis Plenipotentis computandorũ, indiſpenſabiliter facere, & ad Eccleſias ſuorũ Beneficiorũ deſcendere, poſſeſſionem capere, ac onera ſupportare teneantur; ſub pœna amiſſionis fructuum,

ctuum, usibus illius Ecclesiæ, cujus fuerit Beneficium, applicandorum. Si quis verò in decursu ad maximum quatuor mensium, Ecclesiam in qua Beneficiatus est, adire, dictamq; Professionem Fidei, personaliter in Officio, in quo institutus erit, facere omiserit, & per edictum publicum, ad valvas ejusdem Ecclesiæ, in qua Beneficium habuerit, affigendum, vocatus ac monitus, huic salutari monitioni non paruerit, ultra memoratam amissionis fructuum pœnam, etiam Beneficio privetur. Jis duntaxat exceptis, qui causâ studiorum, cum scitu & assensu Nostro, & Successorum Nostrorum Episcoporum Plocensium, extra Regnum sunt vel erunt, sub rigore hujus Decreti non comprehensis. Cæterùm cùm redierint, statim eidem ordinationi sub rigore supra expresso parere, sint adstricti. Quam ordinationem circa Jnstitutiones Plenipotentibus dandas, cum clausula, personaliter à Principali faciendæ Professionis Fidei, Officia Nostra observare teneantur.

Jdem statuimus de Regularibus: ut nullus ad prædicationem Verbi Divini in Ecclesijs quibusvis, etiam suorum Ordinum exponatur, nisi priùs Professionem Fidei emiserit, testimoniumq; de præstita, Nobis, sive Officio Nostro exhibitum fuerit.

Scholarum præterea Rectores, in civitatibus & oppidis principalioribus, ad docendum literas admittendi, nisi id Parochi sui testimonio docuerint se fecisse, Officio suo arceantur.

Diſputationes privatas de fide intra convivales conſeſſus, aut alios quosvis ad negotium fidei, impertinentes diſcurſus, formare & promovere; Scripturam Sacram in alium, quàm jubet Eccleſia ſenſum trahi; verba illius ad jocos, irriſiones, detractiones, libelloſq; famoſos formandos uſurpari; libros quoq; hæreticales ac prohibitos, quà publicè, quà privatim retinere & legere, tam Spiritualibus, quàm Sæcularibus Perſonis ſeriò & ſub pœnis interdicimus; ſuper quo Parochis & Decanis locorum, ſeriam animadverſionem injungimus; & contravenientes ad Nos, Officiumq; Noſtrum deferre mandamus.

Sicut autem Decreta quævis, quocunq; tempore à S. Sede Apoſtolica, ad profligandas & confutandas Hæreſes edita, cum omni reverentia & ſubmiſſione ſuſcipimus; ita pariter propoſitiones, aſſertiones, theſes ab eadem profligatas, confixas, damnatas; damnamus, reijcimus & execramur.

CAPUT II.

De Hæreticis.

TOtius quidem Regni encomium eſt: quòd omnes, quaſcunq; intra viſcera ejus venire contigerit hæreſes, vel penitùs extinxit, vel extra fines ac limites ſuos expulit, vel ſic legibus compeditavit, ac conſtrinxit,

ſtrinxit, ut palam profiteri cogerentur: Fidem Catholicam eſſe in Polonia Dominam, Principem, Matremfamilias ac Hæredem; eorum verò ſectam, hoſpitem ac advenam. Specialiter tamen de Ducatu Maſoviæ, Diœceſiq; Noſtra Plocenſi, id aſſeri poteſt; ejus enim populus ùt Fidem Sanctam incruenta manu ſuſcepit, ita ſemper amabili ſinu, humili corde, ac ferventi animo fovit ac nutrivit. Exſtat hujusce laudis, auro cedroq; notandum, in geſtis VLADISLAI IV. Regis Poloniæ monumentum; Eo enim tunc ſceptra tenente, dum colendi Deum, quo quis vellet ritu, hæreſis moveretur, Maſovitæ adversùs ejusmodi licentiam, innato incolarum hujus Provinciæ ſuccenſi zelo, cumprimis ſunt indignati; quapropter Gens hæc, ea vel maxime ex ratione, magnis privilegijs exſtitit cumulata; & defacto, hunc fervorem & zelum Fidei, ab animis Procerum & populi, intra Diœceſim Noſtram habitantium, cernimus non exeſſe. Divinæ itaq; Providentiæ & Majeſtati ejus infinitæ, nunquàm dignas rependere gratias valemus, quòd Diœceſim hanc, multis in locis hæretica pravitate cinctam, poſt tot adverſantium ſæculorum diſcrimina (*) ab Anno nongenteſimo ſexageſimo ſexto, quo Fides Sancta in cordibus credentium illuxit, ad hæc usq; tempora, puram, neq; in ſuis Civibus ullo heterodoxo errore contaminatam conſervaverit; & ſicuti ad hanc Synodum diu deſideratam congregati, reveremur tanti beneficij

(*) Dlugoſſ.

neficij magnitudinem, ita unanimi corde & voto, Regi sæculorum vota fundimus: ut in eadem unicè salvifica Fide, hanc Diœcesim perseverantem ac immobilem tueatur ac foveat, usq; cum universa militante Ecclesia, Judici vivorum ac mortuorum, in unitate credentium occurrat in die novissimo. Cupientes tamen hæreticam pravitatem, tam Sacris Canonibus, quàm & Constitutionum Regni sententijs, Decretis, & novissimè Anno 1717. in novella lege circumscriptam, magis & magis, oves Christi ab hædis sequestrando, propulsare, feramq; pessimam ab ovili Nostro amovere, sequentia statuimus observanda: Cùm vel maximè in Ducatu Masoviæ, per statutum Janussij Ducis, & alia privilegia à Serenissimis Regibus data, & à tota Republica approbata, & sæpiùs renovata, ab incolatu, Hæretici sub pœnis criminalibus arceantur, inhibemus omnibus Catholicis: ut domus suas, lapideas, cellaria, fornices illis non elocent, nisi fortè tempore nundinarum & transeuntibus tantummodò.

Magistratus Civitatum diutiùs eosdem intra, Civitatem habitare, aut mercaturas exercere, ultra privilegiatum tempus & modum, mercatoribus extraneis concessum, non permittant; id ipsum Decreto Regio, feriâ secundâ post Dominicam Lætare Quadragesimalem, Anno 1715. edito, rigorosissimè commendante.

Mercatores cujusvis Civitatis, Hæreticos ad servitia

merca-

mercaturæ suæ non admittant, imò illos amoveant, sub pœna quinquaginta marcarum, à singulis persolvenda.

Dominos bonorum, & quoscunq; Patresfamilias, ut filios suos, scholas eorum, extra Patriam frequentare non sinant, per viscera Christi obsecramus.

Cùm autem uti in Ecclesia Dei constituti Oeconomi scire teneamur, quisnam hospes & advena? quis erro? quis profugus? statuimus, ut omnes Ecclesiarum Curati sedulò inquirant ac investigent: ne quis hæresi infectus, intra fines Parochiæ eorum demoretur; quòd si verò aliqui comperti fuerint, eorum numerum, genus, qualitatem Nobis vel Officio Nostro deferant, & quotannis Dominicâ quartâ Quadragesimæ, elenchum eorum consignent & transmittant sub pœna decem marcarum, Seminario Diœcesano applicandarum; quo casu, Nostri, vel Successorum Nostrorum erit muneris: vel malè sanis medicinam salubrem procurare, vel nata zyzania extirpare.

Monemus pariter Parochos & alios Presbyteros, ne matrimonijs Acatholici cum Catholica, & è converso assistere audeant, nisi de expresso consensu Nostro in scriptis obtinendo, & prævia submissione de prole ex ipsis suscipienda, in Fide Catholica educanda.

Præcipimus ijsdem Rectoribus, & rigorosè mandamus: quatenus omnem diligentiam in inquirendo, si qui Clerici vel Laici suspectam doctrinam denunciare præsumant, adhibeant; qui si reperti fuerint, ejusmodi facinus

nus, Officio vel Visitatoribus secretò deferant, denuntiantes, & prava dogmata disseminantes, etiam adhibito & implorato brachio saeculari, vinctos ad Officium Nostrum conducant.

CAPUT III.
De Judaeis.

QUòd in Dioecesi Nostra Plocensi, ubi caeterae nequaquàm grassantur impunè haereses, sola Judaeorum perversitas, gens inimica Deo, civitates occupat, ubivis locorum plantatur ac radices figit, & pariter cum Catholicis sese situat ac collocat, indolere ex animo debemus; scimus equidem: quòd in alijs Regni Provincijs, tum externis Regionibus, infidelis haec gens toleretur, idq; ex eo: quòd reliquiae Jsràël convertentur; quòd radix sustineri debeat propter venustatem Floris, qui ex gente eorum prodijt; tum quòd ex Judaeis conversis, Ecclesia primò fundata fuit; tum ut nobiscum commorantes, memoriam nobis referant Passionis Domini; ut ex reprobatione eorum & poena, quâ inter nos ut servi degunt, Divinae Justitiae districtio fiat manifesta; ut tandem ex dispersione eorundem, per universum orbem, Fides Catholica roboretur; propter hoc enim illa gens regno suo pulsa est, & dispersa per terras, ut

ejus

ejus Fidei, cujus inimici sunt, testes ubiq; fieri cogerentur. Sed quia intra fines Masoviæ (ubi Decreta Ducum & Excepta Ducatûs Masoviæ, si Acatholicos, eò magis infideles Judæos, de toto Ducatu Masoviæ fieri exules volunt & imperant) numerus horum Jnfidelium in tantum superabundavit & exuberavit, exclamare omnino cogimur: in tam cultis novalibus unde hæc zyzania? Profectò cùm hocce malum in Diœcesi Nostra atq; cordibus Fidelium, qui eos sinunt crescere, tam altas radices fixerit, de extirpatione illius, jam per multiplicatos toties Processus, hac in causa publicatos egimus; & cùm exploratum sit, quòd gens hæc Judæorum multas hæreses effutiat, sit in Christum, Beatissimam, Sanctos, fidemq; Catholicam blasphema & blaterans, Spiritui Sancto rebellis ac repugnans, veritati resistens, corrupta mente ac reproba circa Fidem, stulta ac tarda corde ad credendum, in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ; ac tandem cùm illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra delevit, hac de causa; hâc Synodali Sanctione, facimus eos, ad mentem SS. Canonum, quàm & Constitutionum Regni, commonitos ac circumscriptos.

Cùm antiquis Legibus Masoviæ, non liceat Judæis, in eodem Ducatu, domos aut habitationes figere, ut novissimè per *Laudum Terræ Varsaviensis, feriâ tertiâ post Dominicam Cantate proximâ; Anno Domini* 1720. *& Anno*

no 1733. factum, declaratum est; easdem Leges in speciali animadversione haberi volumus, ut non ampliùs in Civitatibus, oppidis & pagis domos ædificent, virtute ejusdem Laudi interdicimus.

Licet quidem ob pœnam infamiæ, quæ illis est ab ævo prognata & ingenita, nullis dignitatibus veniunt decorandi; ut tamen indignitatis suæ non sint immemores, noverint, officia & iurisdictionem in Christianos, subditorum possessionem, Christianorum in servos adhibitionem, esse sibi penitùs interdictam. *Cap: cùm sicut. de Judæis. & cap: 1. & 20. hoc tit.*

Pari quoq; ratione interdictum est ijsdem, tabernas tam suo, quàm alieno nomine tenere, liberam mercandi in omnibus facultatem habere, mercaturas & fora in villis facere, idque sub gravissimis pœnis, amissione rerum & mercimoniorum juxta Statuta antiqua confiscandorum; quod ita statuit *SIGISMUNDUS I. Cracoviæ* 1538. & *SIGISMUNDUS AUGUSTUS Petricoviæ* 1562. & 1567. *Anno.*

Specialiter autem de tabernis & arendis, in quarum tentionem, sese avidissimè ingerunt, ipsis, non solùm præfatas Constitutiones, verùm etiam & Decreta, recentissimè verò *Decretum Castri Ciechanoviensis feriâ secundâ ante Festum S. Michaëlis Anno* 1717. *pro amovendo Judæo à taberna; & aliud itidem feriâ secundâ post Dominicam Conductûs Paschæ proximâ* 1718. *de relegando Judæo arendatore*

datore de bonis Rembelinko, latum; & alia innumera, in memoriam revocamus.

Præcipimus item: ut Judæi, Sacerdoti Parochiali, intra cujus Parochiæ terminos manserint, pro eo, quòd loca, in quibus Christiani habitare deberent, occupant, juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium Diœcesani loci, omnes proventus refundere compellantur. *Const: Provin: Gnesn: lib: 4. de Judæis.*

Prohibemus etiam, ne balnea Christianorum frequentent; nec servos, nec ancillas, aut nutrices Christianas die noctuq; in suis domibus retinere præsumant. *Const: Provin: ibidem.*

Districtè quoq; præcipimus; ut Judæi inter Christianos permixti non habitent, sed in aliquo sequestrato Civitatis vel villæ loco, domus suas sibi contiguas habeant, ita, ut à communi habitatione Christianorum, septo, muro, vel fossato, Judæorum habitatio separetur. Nec hoc commentitium præceptum Nostrum esse autument, id enim palam declaratur *in cap: Judæi 2.* & eod: ubi dicitur: *Præcipimus autem, ut per Episcopum Diœcesanum, & per Dominum temporalem, tam Christiani quàm Judæi, quorum domus intermixtæ sunt, ad venditionem, seu permutationem earum, ad arbitrium bonorum virorum, censurâ, quâ convenit, compellantur.*

Si quando Sacramentum Altaris, ante domos Judæorum deferri contingat, ipsi Judæi, audito sonitu, quàm

primùm intra domos suas se recipiant, & fenestras ac ostia sua claudant, sub pœna triginta marcarum, in casu contraventionis, ad primam delationem, per totam communitatem Judæorum oppidi illius solvenda.

Jisdem Judæis districtè præcipimus, & sub pœna proximè constituta mandamus: ne diebus & Festis, quibus memoria Dominicæ Passionis recolitur, in publicum prodeant, verùm domi absconditi, fenestras & ostia habitationum suarum, tota die occlusa teneant, præsertim in die Parasceves, & tunc, dum publica Processio ac solemnis consvevit celebrari.

Prohibemus quoq; ne prædicti Hebræi, qui etiam in direptione bonorum & facultatum attrectatione, quàm studiosissimè Christianis nocere percupiunt, usuras ab ijsdem Christianis exigere & emungere audeant; C. *post miserabilem. de usuris*. idq; sub pœna restitutionis per eorum Dominos & aliàs Judices Sæculares decernenda.

Cùm autem nostris devotionibus ac ritibus Catholicis contraire, Festa & Dominicos dies consultò violare, habeant in consveto, ijsdem, ut prædictis diebus Dominicis & Festis cessent à quovis opere, signanter verò, potus varios & liquores, hisce diebus Deo dicatis, conficere non audeant, præcipimus; & ut ignorantiæ tollatur occasio, eos de imminente Festo, ante Vesperas, per servitores Ecclesiarum avisari debere decernimus; & si habitâ notitiâ, præmissis operam dederint, eos coram Dominis suis

accusa-

accusari, incorrigibiles ac impunitos ad Officium Nostrum deferri, & ad instantiam Fiscalis judicari volulumus & statuimus.

Interdicimus insuper Judæis, Processiones publicas noctu dieque facere, Christianos sepulchris custodiendis aut effodiendis adhibere, corpora defunctorum psallendo ad tumulos deducere; sed ut eorum mos & antiqua consvetudo obtinet, cadavera secretò deducant & deponant; quo in passu si refragarii extiterint, post primam denuntiationem eorum, pœnâ carceris & solutionis marcarum quinquaginta mulctabuntur.

Quoniam verò per conniventiam Possessorum bonorum, contra Statuta Regni & Provinciales Constitutiones, propter aviditatem & lucrum majoris proventûs, Judæis, in oppidis & villis, Synagogæ ædificari permittuntur; quinimò, quod magis dolendum! ipsimet Hæredes & Domini directi, ad ædificationem hujusmodi Synagogarum concurrunt; Ideo quilibet Curatus & Decanus foraneus, in suo Decanatu quoties resciverit, quòd Synagogas construere intendant, vel attentent, tempestivè ad Judicium Nostrum deferat, ut inhibitionem, Parochus loci exportari, contra eos faciat, quam si temerè contemnere præsumpserint, extunc Nos ad alias pœnas processuros, ac pro contemptu Jurisdictionis Ordinariæ, per Commissarios seu Plenipotentiarios, in Synodo præsenti destinatos, in quovis Judicio Regni, se-

riâ animadversione acturos, tam contra ipsos Judæos, quàm eorundem Fautores declaramus.

In causis quorumvis criminum & excessuum, tam per Statuta Regni, quàm Constitutiones Synodales Judæis prohibitorum, & cum Fautoribus eorumdem, maximè Synagogas noviter exstrui permittentibus, eliguntur & deputantur Commissarij & Plenipotentes: Admodum Reverendi Stanislaus Bastkowski, in Gąsewo; & Bartholomæus Gutowski, in Ostrowo; Curati. Quibus etiam præsentis Synodi vigore, cuivis in solidum, damus plenam potestatem, causas hujusmodi, in quovis Foro & Judicio competenti promovendi, Plenipotentiarios quosvis in locum suum substituendi, nec non facultatem criminaliter agendi, in Judicijs tam Castrensibus, quàm Supremi Tribunalis Regni.

Omnibus Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus seriò inhibemus: ne bona Ecclesiarum, præsertim braxatoria, Judæis in arendam concedant; quam inhibitionem etiam ad bona Monialium extensam habere volumus.

Et quoniam Bulla specialis â gloriosæ memoriæ Clemente Papa XI. Anno 1704. quinto idus Martij, favore Neophytorum, & ad Fidem Catholicam conversorum emanavit, quâ cavetur: ne odio fidei, ad quam conversi sunt, à Judæis exhæredentur, aut successione, Jure naturali sive per testamentum, vel post intestatos,

ipsos

ipſos concernente, deſtituantur; ideo eandem Bullam ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari mandamus; eamq; in Appendice *ſub Numero* 1. ſemel de Anno per Eccleſias publicandam, apponimus.

Quia verò flagranti odio, calumniis ac cavillationibus, Judæi, converſos è medio ſui, ſolent impetere, illos irridere, fatuos proclamare, ac convitiis ſimilibus laceſſere; ſi quidpiam horum, in dictos converſos attentaverint, graves & irremiſſibiles, à talia præſumentibus, decernimus pœnas exigendas.

CAPUT IV.

De Sagis & Maleficis.

EXperientiâ edocti, quòd Magiſtratus Sæculares in oppidis, homines plerumq; rudes & illiterati, iudicium ſibi & poteſtatem, in ſagas & maleficia & his ſimilia delicta uſurpent & vendicent, ex merisq; ſuſpicionibus, & tantùm prævio, vano & illegitimo alicuius ſimplicis ruſtici delatoris juramento, vel præmiſsâ illicitâ per aquas probatione, modis nullibi practicatis, nec in Legibus expreſſis tractari; in dolia, ligatis poſt tergum manibus & oculis, modo crudo & duro imponi; dein ad torturas deſtinari, & tribus diebus manu carnificis, per trinos quâlibet die tractus

torqueri, igneq; aduri; post quamlibet torturam sine ulla refocillatione & discretione iterum in eadem dolia, similiter ligatis manibus & oculis reimponi; ac ita omni genere miseriarum, enormibusq; excogitatarum mortificationum modis consumi, & tandem crudeliter comburi; plurimos etiam per extorsivas complicitatis provocationes diffamari, ac per consequens infinitis dissensionibus & persecutionibus exponi sinunt & faciunt, nil cogitantes: quòd ex solis suspicionibus nemo puniri debet; quodq; sanctius est: impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem condemnare; unde cùm non solùm Christiana charitas hac ratione minuitur, verùm etiam odia inter vivos crescunt ac pullulant, mortuorumq; sanguis vindictam clamat ac efflagitat; licet evidens sit tam ex Jure Canonico, quàm statutis Regni, maleficia ac sortilegia ad forum Spirituale pertinere, idq; ut talium cognitio, ex se difficillima, per Theologos & Jurisperitos priùs discutiatur. Proinde obviando inposterum ejusmodi inconvenientijs, auctoritate Synodi præsentis, omnibus Magistratibus Sæcularibus inhibemus: ne immediatam, in ejusmodi causis, sibi iurisdictionem prætendant, sed easdem priùs ad Nos, Judiciumq; Nostrum, seu Officialis Nostri Generalis discutiendas & trutinandas remittant.

Quòd verò similes causæ ad Judicia Spiritualia per-

tineant, edocet *Constitutio SIGISMUNDI Regis, Cracoviæ Anno* 1543. *lata, in Statuto Herburti, tit:* Spirituales, *inserta*. Intercessit etiam hoc in passu *Decretum Regium Assessoriale* Varsaviæ *feriâ secundâ post Festum S. Jacobi Apostoli*, 1672. & aliud *in crastino S. Ægidij Anno* 1673. quibus mediantibus, iudicatio & cognitio causarum præexpressarum, antequam cognoscantur à Judicio Spirituali, Judicibus Sæcularibus penitùs est adempta. Emanavit expost Rescriptum piæ memoriæ Serenissimi Regis AUGUSTI II. Anno Domini 1703. datum; ac tandem idem Serenissimus AUGUSTUS II. speciali suo Rescripto, ad hanc Diœcesim Plocensem *de data* Varsaviæ, *die* 25. *Mensis Aprilis, Anno* 1727. directo, districtè præcepit, & iudicijs quidem Civitatensibus sub pœna mille Hungaricalium; Villanis verò sub pœna capitis, ne sinè scitu Officij Spiritualis, causas sagarum judicare audeant & præsumant; quæ Decreta & Rescripta, ut à memoria Judicum Sæcularium non excidant, obligamus; & Rescriptum pro nostra Diœcesi in appendice subjungimus: *sub Numero* 2. declarantes: quòd Nos obligationis nostræ memores, ad delationem talium criminum Commissarios nostros, Theologos, Jurisperitos, & Medicinæ non ignaros, ad inquirenda motiva & fundamenta accusationum, tùm & ad opportunas faciendas inquisitiones, assignabimus & deputabimus. Qui quidem Commissarij, quòd ju-

ſtitiæ fuerit, diſcernent, & ſi opus fuerit, Judicio Sæculari, prudenti & docto, negotium ejusmodi, pro ulteriori proceſſu remittere non different.

Decanos verò & Parochos monemus: ut ſeriò animadvertant & præcaveant: ne præſtigia diverſa, quæ inter homines maximè rudes, practicari aliquando ſolent, peragantur; in Catechiſmo quoq; doceant populum: qualiter debent vitare quasvis divinationes, vanas obſervationes, & vel minimas ſuperſtitiones, ne ſenſim ad maleficia deſcendant; & quamprimùm Parentes vel minimùm quidpiam adverterint, filios & filias puniant. Ipſi etiam Parentes præeant bono exemplo infantibus; doceantq; ipſos ante omnia, amorem & timorem DEI; nihilq; ſinè permiſſione DEI nobis accidere poſſe; & quidquid DEUS permittit, hoc totum fieri in pœnam peccatorum, vel in probationem virtutis & patientiæ. Item inſtruant illos: quòd non debeamus noſtris modis agendi confidere, ſed magis meritis CHRISTI, interceſſioni Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, ac omnium Sanctorum, tùm etiam Angelorum Cuſtodum, illorum Patrocinium invocando; tùm pro repellendis & evitandis maleficijs ad res benedictas, aquam ſcilicet, herbas in feſto Aſſumptionis benedici ſolitas, ad cereum Paſchalem, ramos palmarum, quæ ſalutarem Chriſti triumphum ſignificant: tùm deniq; ad Reliquias Sanctorum, devotè & cum conſcientia bona,

na; cumq; spe ac fiducia in DEO, qui vitæ ac mortis Author est, recurrendo.

CAPUT V.

De Maledictionibus, Blasphemiis, & Blasphematoribus.

BLasphemia, peccatum ex pravo cordis affectu, Divinæ bonitati detrahens, etiamsi in Beatissimam & Sanctos directa, nihilominùs in ipsum DEUM redundans, severissimè venit punienda. Indicat id Textus *Levitici* 24. *v.* 14. *ubi dicitur: Educ blasphemum extra castra; & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput ejus; & lapidet eum populus universus.* Et quomodò tantum facinus tolerari debeat, ac impunitum permanere, quando juxta *D. Augustinum: Plùs peccant blasphemantes Christum regnantem in cælis, quàm qui crucifixerunt Eum ambulantem in terris.* Ea de causa & *Richardus de S. Victore, blasphemiam sceleratissimum genus peccati, quo nihil est horribilius* pronunciat. Adeoq; ut hoc detestabile vitium à fideli populo longè exulet, & exterminetur, Parochi, cæteriq; curam animarum gerentes, tam in Concionibus, quàm in doctrinis Christianis, moneant Parochiæ suæ subjectos Dominos, Patresfamilias, ac Parentes: ut si benedictionem Divi-

nam habere & consequi voluerint; filios, famulos, servosq; suos, Christum aut Beatissimam, atq; Sanctos, blasphemantes & maledicentes durè increpent; quòd si in prava consvetudine persliterint, è domibus suis eijciant, ne cùm socios eos habuerint, Divinæ ultionis fiant participes.

Persvadeant ac instruant sæpè sæpiùs: quòd crimen blasphemiæ, si fiat scienter & considerate, sapiat hæresim, & consvetudini tam prauæ obnoxii, veniunt ultimâ supplicij pœnâ puniendi. *C. statuimus: de maledicis.* & *Cardinalis de Luca, in praxi Crimin: verb:* Blasphemia, *in principio.*

Exponant item: quòd sit obstructum os loquentium iniqua; quòd lingua magis excruciat, quàm gladius; & ut Populus absterreatur à maledictionibus, juvabit allegare casum punitionis, pueri quinq; annorum, qui propter maledictiones, è manibus Patris, à Diabolo ereptus, ad inferos delatus fuit; *quod refert D. Gregorius Dial: lib. 4. c. 19.* Quod practicatum pariter fuit cum illis pueris, qui Eliseo maledixerant. *l. 4 Reg. c. 2. v. 23.*

Ideo ad eradicandum hoc vitium, de cordibus Fidelium, Parochi locorum invigilabunt & seriò attendent: ut in domibus Parochianorum omnis modestia, pietas & sanctitas vigeat; maledictiones, perjuria, Divini Nominis frustraneæ invocationes, ab eis & eorum habitatoribus arceantur. In foro autem Pœnitentiæ eis, qui

qui horum criminum rei fuerint, gravem pro modo culpæ pœnitentiam, Confessarii imponant.

CAPUT VI.
De Concubinariis.

HOrrendus & abominabilis, summeq; perniciosus Concubinariorum status est; præterquàm enim, quòd eos, summo ac execrabili odio, Omnipotens Dominus aversetur, juxta illud: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est*, etiam quotidiano, eoq; palpabili damnationis suæ, ipsimet versantur in periculo, salutem animæ prorsùs negligentes, & ad carnis illecebras ausu nefario sese conferentes. Itaq; omninò justum est, in tales punitionis gladio desævire. *Gen. c.6. v. 3.*

Et quia Conc: Trid: *Sess.* 24. *c.* 8. graviter in eosdem Concubinarios invehitur, nec eos sinè debita correptione præcipit tolerare; Nos quoq; morem illius gerentes, imprimis fideles Christi uxoratos, sive solutos cujuscunq; sexûs, gradûs ac conditionis existant, hortamur in Domino: ut ab hac fœda consvetudine toto virium conatu abstineant, sed tanquàm membra Christi & Ecclesiæ, corpora sua, veram & immaculatam hostiam DEO & Angelis exhibeant.

Si quis ejusmodi facinorosorum hominum, in tam dete-

deteſtabili vitio vitam agens, intra fines alicujus Parochiæ compertus fuerit, is ſinè mora ac dilatione ad Nos Officiumq; Noſtrum deferatur, & ut pravam conſvetudinem deſerat, piis exhortationibus, ſalubribusq; perſvaſionibus, ad deſerendum ſtatum peſſimum, moneatur & inducatur.

Quodſi charitativæ monitioni non obtemperaverit, exnunc ad Forum Spirituale, ad inſtantiam Fiſcalis vocetur & adcitetur; præviâq; inquiſitione, ad quam, ſolius Parochi & alicujus honeſti viri teſtimonium ſufficere decernimus; ad eijciendam concubinam, conſvetudinemq; abominabilem, iudiciali ſententiâ compellatur.

Si verò nec ejusmodi Decreto paruerit, ſed in malè cœptis perſeveraverit, ac ſe à turpi commercio concubinæ non ſejunxerit, poſt trinam monitionem, ſententiâ excommunicationis feriatur, non priùs ab ea, donec mulierem expediverit, & idoneam cautionem de non revocanda dederit, abſolvendus.

Conſiderantes tandem, quòd tantò gravius eſt peccatum, quantò diutiùs, infelicem animam detinet alligatam, ſi cenſuris poſthabitis, ejusmodi culpæ ac vitio, per annum operam dederit, cum prævia citatione, pro ſuſpecto de hæreſi declarandum decernimus, ac tandem ad ſæcularia Judicia, pro pœnis criminalibus remittendum, ſtatuimus.

Patres-

Patresfamilias quicunq; in domo sua, Magistratus ac Communitates, qui in civitate vel oppido, ejusmodi noxam & offensam Divinam passi fuerint, prævia citatione, ad solutionem marcarum centum, pro fabrica Ecclesiæ suæ Parochialis condemnentur; & ad pellendos hostes, scelestos contubernales severè compellantur.

Et quoniam nonnullorum etiam conjugatorum mentes, hostis humani generis adeò excæcavit: ut relictis propriis consortibus, alienas nuptias profanare, mulieres suspectas publicè fovere, iusq; thori proprii & alieni, contaminare non reformident; contra eos, ne multiplicetur offensa DEI, gravissimè & irremissibiliter, simili, quem ad mentem Concilij præscripsimus, modo procedatur; quod delictum tantò graviùs in viris puniatur, quantò magis ij, ad prælucendum exemplo, suis mulieribus obligantur.

Et ut, quos virtutis amor à delinquendo non continet, saltem pœnarum exaggeratio & honoris temporalis privatio cohibeat, Concubinarios à Magistratibus & functionibus arcendos, præcipimus. *Const: Syn: lib: 4. Tit: eod.*

CAPUT VII.

De Simonia.

Simoniæ crimen, Apostolorum temporibus, à Simone Mago

Mago inchoatum & introductum, per Principem Apo-
Actor. 8. stolorum condemnatum, in tantum radices fixit, ut nec hodie etiam è mentibus hominum valeat extirpari. Sunt enim ac inveniuntur nonnulli, qui authorem hujus teterrimi sceleris imitantes, donum Spiritûs Sancti pretio æstimant, & Spiritualia vel Spiritualibus annexa, muneribus non reformidant comparare; minimè cogitantes, quàm rigidè suus Author punitus est; & quomodò Giezi Elisei servus 4. *Reg.* 5. ejusq; posteritas in pœnam delicti, lepræ morbo fuit, vindice DEO, defœdata. Quare:

Cùm detestanda quorundam Collatorum, præsertim sæcularium cupiditas, in tantum glliscere cœpit: ut salutis animarum suarum immemores, obtingente vacatione Beneficij in Collatione sua existentis, quærant Clericos, Simonis successores; ac tandem inventos, acceptâ ab illis summâ pecuniariâ, vel pacto de illa in posterum persolvenda constituto, aut etiam cautione promissioneq; super non repetendis aut remittendis sibi decimis, censibus, liberâ propinatione, nonnullisq; proventibus Ecclesiam concernentibus, condonandis; sub his & alijs similibus damnatis contractibus, eos obtrudere ac præsentare Officio non verentur. Ne igitur hoc execrabile licitationis & mercationis genus, in pravum usum impunè transeat, inhærendo dispositioni SS. Canonum de labe Simoniaca, præsentis Synodi vigore

gore decernimus: quòd Collator ſive ille Clericus, ſive Sæcularis ſit, hac pactione vel illicita conventione peractâ, aliquem præſentans, ac de præmiſſis graviter infamatus, iuſtisq; probationibus & teſtimoniis convictus, eo ipſo pro illa vice Jus præſentandi amittat; & protunc, vacans Beneficium, ad quem pertinet de Jure inſtitutio, conferatur. Præſentatus verò taliter, non ſolùm præſentatione cadat, verùm etiam ad alia quævis Beneficia obtinenda, ipſo facto reddatur inhabilis.

Pro majore verò hujus delicti abhorrentia, in animos fidelium inducenda, pœnas *per Conſtit: Pauli II. quæ incipit: Cùm deteſtabile. & per Conſtit: Pii IV. de confidentiis. Anno* 1564. XVI. *Kalendas Novembris* promulgatam, & aliam Pii V. contra Simoniacos latam, omnes hacce labe contaminatos, non evaſuros declaramus.

CAPUT VIII.

De erudiendo populo in Doctrina Chriſtiana.

TRemendum nimis ac inevitabile manet judicium Parochos & Paſtores, qui poſtquàm ad regimen fidelis populi ſunt aſſumpti, eum verbo & doctrinâ paſcere, illiq; evangelizare vel neſciunt, vel negli-

1. Cor: 9. gligunt. *Væ! mihi*, inquit Apoſtolus, *ſi non evangeliza-*
v. 16. *vero!* Præcepit DEUS per Prophetam dicens: *Sacerdotes*
Eze: 44. *populum meum docebunt: quid ſit inter Sanctum & pollu-*
v. 23. *tum, & inter mundum & immundum.* Ne ergo per ejusmodi Doctrinæ Chriſtianæ defectum, in vinea Domini, ubi ſperabantur uvæ, labruſcæ generentur; unde ſperabatur judicium, procedat iniquitas; unde juſtitia, inde clamor eveniat; ne inquam, in auribus noſtris querelam illam: *Parvuli petierunt panem, & non eſt qui*
Thre. 4. *frangat eis*, contingat obſtrepere; hac Noſtra Synodali
v. 4. ſanctione ſancimus:

Ut Parochi, & alij curam animarum habentes, maximè in villis, non ſolùm in templis, feſtivis diebus, dum concionantur, vel quando pro loci & hominum ratione, opportuniùs videtur ipſis, per ſe vel ſuos Vicarios, modum ſignandi ſe Sanctâ Cruce, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, & Religionis rudimenta, Decalogum, Præcepta Eccleſiæ, confitendi & communicandi normam, diligenter populum edoceant; verùm etiam viſitando ſæpiùs domos ſingulorum, ac quàm piè & Chriſtianè vivant, inquirendo, hæc eadem, fidei & religionis rudimenta, ſedulò inculcent, moneantq; Patres & Matresfamilias: ut erudiendis, in ijsdem, liberis, atq; familiâ ſuâ, ſtrenuè invigilent.

In Civitatibus autem & oppidis, ubi & cultior eſt popu-

populus, & exercendæ hujus tam necessariæ eruditionis commoditas melior, non contenti diligentiâ supradictâ, dent operam Parochi: ut pueri in scholis, præter alias disciplinas, pro ætate & captu illorum proponendas à Magistris, Catechismum etiam diligenter ediscant, & ipsimet Parochi, seu illorum Vicarij, ejusmodi Catechismum Concilij Tridentini, aut alicujus Authoris probati, singulis diebus Dominicis, populum doceant, cum omni svavitate, affabilitate, quæstiones proponant; easq; absq; indignatione, increpatione, in lenitate Spiritûs resolvant.

Ab adultorum interrogationibus & examine Catechisantes abstineant, ne ij, malo pudore suffusi, ab instructionibus ejusmodi audiendis & adeundis terreantur, sed puerorum scientia collaudanda, ut seniorum animus ad condiscendum ea, quæ narrantur, excitetur.

Quòdsi verò Parochi tam Sæculares, quàm Regulares, præmissum catechisandi officium neglexerint, & ter à Decano moniti non se emendaverint, pœnâ duarum marcarum, unâ pro fabrica Ecclesiæ, alterâ ad Decani dispositionem, pro qualibet omissionis vice, solvendarum, mulctabuntur. Si verò neq; post trinam hanc monitionem & punitionem se correxerint, à Divinis per Decanos suspendantur, & cum præfixione termini, ad Nos vel Officium nostrum, pro sumendis gravioribus pœnis remittantur.

Quia verò non sinè dolore, ex visitatione intelleximus, prima fidei rudimenta ita à multis ignorari: ut ex plebe non pauci jam adulti reperiantur, qui ea addiscere negligunt; unde fit, quòd operâ hostis humani generis, rudis plebecula impiè, superstitionibus potiùs ac avidiùs studeat, quàm ijs, quæ ad salutem sunt necessaria. Ideo huic malo occurrere cupientes, statuimus: ut post primam alicujus matrimonij denuntiationem, vocentur neosponsi à Parocho, ac de mysterijs necessarijs ad salutem, de Oratione Dominica, Salutatione Angelica, Symbolo Apostolorum, ac de Præceptis DEI & Ecclesiæ examinentur & instruantur; neq; copulentur, nisi priùs ista omnia didicerint; dum enim Parentes illa probè scient, prolem suam similiter instruent; & sic successivè Doctrina Christiana propagabitur in filios filiorum.

Nemo etiam ad officium Patrini & Matrinæ, in Baptismo admittatur, nisi præmissa omnia benè calleat.

Examinatorum conscientias volumus esse oneratas: ut quandocunq; Parochi, sive Vicarij, pro approbationibus ad excipiendas Confessiones venient, utrum habiles ad catechisandum, & prompti in doctrina inveniantur, seriò inquirant; & deficientibus in his, testimonium capacitatis denegent. *Si enim lumen, quod in illis est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* (Matt. 6. v. 23.)

CAPUT

CAPUT IX.

De Prædicatione Verbi Divini.

GRande Prædicationis officium ab ipso Christo institutum, & totâ vitâ illius exercitum, Nostris quidem humeris impositum esse agnoscimus; utpotè qui dati sumus *in lucem gentium, ut aperiremus oculos cæcorum.* Sed quia non ille Nobis oculus est: ut universo gregi singulariter prospicere, non illæ aures: ut distinctè & sigillatim ad omnium suspiria advertere, non tanta manus: ut ipsimet, quæ sunt lapsa relevare, debilia consolidare, confracta redintegrare, valeamus; scientes: quòd *Num:* 11. Nobis præcipitur & dicitur: *Congrega viros de Senibus Jsraël, quos tu nosti, quòd Senes populi sint & Magistri; auferam de Spiritu tuo, tradamq; eis, ut sustentent tecum onus populi, ut non tu solus graveris.* In Parochos & animarum Curatores, eosq; qui legatione seu missione funguntur, id munus Nostrum dispartimur, proq; maiori stimulo, hac Synodali declaratione adhortamur.

Isai. 42. v. 7.

Num. 11. v. 16. 17.

Quanta sit Prædicatorum dignitas & prærogativa! ultra quàm manifestum est; prætcrquàm enim, quòd Tuba Spiritûs Sancti, Vas electionis portans Nomen Domini coram gentibus, Dispensatores mysteriorum DEI, Custodes Vineæ Domini, Verbiq; Divini Preco-

nes nuncupentur; ij sunt, in quorum etiam pedibus,
Isaiæ 52. quendam decorem & pulchritudinem Propheta depre-
v. 7. Rom. 10. hendit, inquiens: *Quàm speciosi sunt pedes evangelizan-*
v. 16. *tium pacem, evangelizantium bona.* Qui enim prædica-
tioni invigilant, etiam in ipsis pedibus sunt veneran-
di; quippe bona, pacemq; nempè: reconciliationem
cum DEO, remissionem peccatorum, gratiam & dona
Spiritûs Sancti, & tot alia beneficia, subindè testatissi-
mis miraculis comprobata adferentes.

Primò tamen & principaliter eos, Concionatorum
volumus fungi munere, quos pietas & vitæ honestas,
tum & doctrinæ puritas facit commendatos. Pulchrum
est enim, cùm de Concionatore dici potest, quod olim
Eus. l. 6. de quodam ex veteribus, teste Eusebio dictum est:
c. 3. Eccl. Hist. *Hic est, qui quale habet verbum, talem habet & vitam.*
Turpe autem est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum;
& Apostolus ejusmodi Prædicatores, reprehendit acer-
Rom. 2. bissimè: *Qui alium,* inquit, *doces, te ipsum non doces; qui*
v. 21. 22. *prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchan-*
dum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis?
qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis DEUM
inhonoras?

Modum verò rectè concionandi perbellè conscripsit
Lib. de Hugo Victorinus inquiens: *Tres sunt Prædicatoris vo-*
claus. animæ. *ces: una suavis, quæ ad infirmos dirigitur; altera dulcis,*
quæ morientibus adhibetur; tertia alta, quæ surdis omninò
incutitur.

incutitur. Atq; considerent omnes, Prædicatoris munus exercentes: conditionem, capacitatem, statum & authoritatem auditorum; ut nimirùm infirmis, de quibus dicitur: *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma,* Matt. 26. v. 41. more Samaritani subveniant, vinum propter eos, acerbiorem scilicet reprehensionem, svavi persvasione moderentur; porrò: morientes ad dulcem DEI amorem, & amaro-dulcem pœnitentiæ ducant amarorem. Surdos tandem, & more aspidis aures obturantes, altâ & sonorâ voce compellant, instando *opportunè, importunè,* 2. Timot. 4. v. 2. *arguendo, obsecrando & increpando.*

Licet verò insectari vitia, quæ magis grassantur in populo, teneantur; caveant tamen, ne fortè exprobrationi illi, locus in eis tribuatur: *Æmulationem DEI habent, sed non secundùm scientiam;* Rom. 10. v. 2. videlicet: ne quempiam, nominatim insectentur, & ita vitium ejus, verbis depingant: ut facilè audientes, de quo sermo est, valeant penetrare.

Per lectionem librorum & per connotationem ac memoriæ impressionem dicendorum in concionibus, tempestivè se præparent; & ut commodius habeant tempus, pro hac præparatione, hortamur DD. Parochianos: ut diebus festivis, ante Missam, visitationibus suis, Curatum non impediant; ipsos verò Parochos, ut ejusmodi visitationes & conversationes antemissales, seriò declinent, admonemus; datum est enim tempus legendi,

di, ſcribendi & cætera faciendi; qui verò aſcendunt Cathedram ſinè præparatione, ſinè fructu & honore ſolent deſcendere.

Cùm autem ipſe Salvator Noſter; cujus omnis actio, noſtra debet eſſe inſtitutio; primùm cœperit facere, poſtea docere; neceſſe eſt eum, cui prædicandi munus incumbit, ſingulari vitæ innocentiâ, ſanctiſſimis moribus, & omnibus virtutibus, debere eſſe excultum. Proinde diligentiſſimè cavebit: ne alicujus peccati mortalis reus, Spiritum Sanctum contriſtet, tractationemq; tanti muneris attingat, ſed conſcientiam antè, ab omni peccatorum impuritate, Sacramento pœnitentiæ expurget, quàm ad prædicationem Verbi DEI accedat, vehementerq; pertimeſcat, graviſſimam illam Prophetæ objurgationem: *Peccatori dixit DEUS: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum, per os tuum? tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum;* &c. detq; operam: ne quæ verbis ædificat, ea factis deſtruat, remq; adeò Divinam violet.

Pſal. 49. v. 16. 17.

Nullum autem præter Parochos & Ordinarios, Cathedralis & Collegiatarum Eccleſiarum, Concionatores, ad prædicationis munus exercendum, niſi per Nos approbatum, ſive Sæcularem ſive Regularem Sacerdotem admitti volumus. Præterquàm: ſi Regulares prædicare voluerint, in Eccleſijs ſuorum Ordinum, tunc enim *Trident: Concilio* ita jubente, ſeſe cum licentia ſuo-

Seſſ. 4. c. 2 de Refor:

rum

rum Superiorum, coram Nobis præſentare, & à Nobis benedictionem petere teneantur. Quòd ſiquis temerè in id ſe ingeſſerit, debitas temeritati, ſuæ luet pœnas.

Prædicationis munus, omnibus diebus Dominicis & Feſtis, exerceri volumus; in villis tamen, ut loco concionis, Feſtis minùs principalioribus, inſtructio catechetica dici poſſit, indulgemus.

Præcipuè verò ex Sacramentis, quàm ſæpiſſimè admoneant fideles: recordetur crebrò quisq; ſponſionis in baptiſmo, quâ ſe DEO obligavit; ſimulq; illud cogitet: an vitâ & moribus talem ſe præbeat, qualem ipſa Chriſtiani nominis profeſſio pollicetur.

Frequentem prætereà uſum pœnitentiæ, tam præſentiſſimam ſpiritualibus morbis medicinam, atq; Euchariſtiæ, in hac peregrinatione & exilio, ſalutare Viaticum ſedulò commendent.

Confirmationis item, & extremæ unctionis uſum, magno ſtudio in populo revocent, admonentes eum ſæpè: ne ſuâ culpâ, ſuoq, maximo malo, hæc Divinæ gratiæ beneficia, in remedium animarum ſuarum inſtituta, quod abſit, contemnant, aut ſuſcipere negligant.

Ex Decalogo verò & Oratione Dominica, ad charitatem DEI & proximi; ad debitam Feſtorum omnium, nunquam omittendam ſanctificationem; ad obediendum Præpoſitis ſuis; ad aſſiduitatem orationis cum je-

junio, & eleemosyna, fideles inducant.

Otium, à quo omnia ferè vitia fluxerunt, acerrimè insectentur; cùm non in otium & inertiam, dignatus

Matt: 11. fit nos vocare DEUS, quinimò: *Regnum cælorum*
v. 11. *vim patiatur, & violenti rapiant illud*; & *Si* volumus
Matt: 19. *ad vitam ingredi*, debeamus *servare mandata*. Quàm
v. 17. sæpissimè verò locos perpetuæ Christianæ meditationis, de morte, de judicio, de inferno, de gloria, & præmio cælesti, populo proponant.

Omnes deniq; suos labores & curas, referant ad homines in pietate sic erudiendos: ut post mysteria fidei, revocentur à vitijs, & ad virtutes incitentur; utq; sit

a. Tit. *populus* DEO *acceptabilis, sectator bonorum operum*; &
v. 14. ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeat.

Fabulas, nugas, historias suspectas, jocos, invectivas, convitia, omittant; nihil præterea, quo honestæ, & piæ aures offendantur, proferant; memores: quòd

Psal. 11. *eloquia Domini, eloquia* sunt *casta*; & quòd hæc de-
v. 7. deceant eos, qui os suum Evangelio consecrârunt; & in populo multorum scandalorum causam præbere possunt.

Concione absoluta recitabunt cum populo, actus fidei, spei, charitatis; aliàs Confessionem generalem; ut vel sic assvescant ad usum actuum eorundem.

Volumen, ac codicem Evangelij, ut quisq; bonæ ac

vulgatæ editionis, in ambone suæ Ecclesiæ, idq; non lacerum vel distortum, sed compactum, & integrum habeat; volumus, & mandamus.

☞ Laudabilis mos, ac usus in alijs Diœcesibus practicatur: quòd diebus Dominicis, scholares vel servitores Ecclesiarum, ad id consultò destinati, soleant per domos, lapideas, casasq; fidelium cursitare, ibiq; prævia aspersione aquæ benedictæ, Evangelium, quod pro illo die incidit, vernaculo sermone recitare; qui quidem mos & usus, cùm sit proficuus, & salutaris, non enim omnes domestici, aut famuli concionibus interesse, ibiq; Evangelium possunt auscultare; eundem morem per Ecclesias Parochiales civitatum, & oppidorum absolutè, etiam villarum, ubi id commodè fieri poterit, introduci & reassumi volumus.

CAPUT X.

De Missionibus & Missionariis.

Singulare tutamen, præsidiumq; animarum, est Missionum exercitium; per illas enim & Verbi Divini prædicatio propagatur; & salus animarum adaugetur; & vitiorum monstra, quoquo modo in cordibus fidelium radicata, fugantur & propulsantur. Et satis quidem instructionis, & animadversionis unicuiq; ad

ad munus Miſſionis, à Superioribus ſuis deſtinato, propria conſcientia & Fundatorum intentio ingerit, & inſtillat; verùmtamen ad maiorem fructum proferendum, & tam glorioſam functionem laudabiliter obeundam, adhortando:

Obteſtamur, tam RR. Patres Soc: JESU, quàm RR. Presbyteros Congregationis Miſſionis, miſſiones exercentes: ut in eradicandis vitiis, cultu & maiore DEI gloria propaganda, ſedulam navent operam; quid enim prodeſt Miſſionarij nomen gerere, & ea, ad quæ exercenda mittuntur, negligere.

Quia verò nôrunt ſeſe ad ædificationem, non deſtructionem, eſſe: ne Parochis invitis, in jura ſeſe Parochialia ingerere; munia quævis, quæ Parochos concernunt, adminiſtrationem Sacramentorum exercere; populum ab Eccleſia Parochiali, ubi ſalutis initium conſequitur, & ad quam frequentandam, juxta diſpoſitionem SS. Concilij Tridentini hortandus eſt, ad Eccleſias Reſidentiarum ſuarum avocare audeant; hac Synodali Sanctione, præcavemus.

Quotieſcunq; verò eosdem, Miſſiones ſuas obire contigerit, non priùs ad easdem excurrant, donec Nobis, vel Officio Noſtro, ad quas Eccleſias ſint perrecturi, plenè notificent, & licentiam in ſcriptis, ad has, & non alias Eccleſias, Miſſionem exercendi, pariter à Nobis, vel Officio Noſtro, conſequantur; fructum etiam

suarum Missionum, noverint à Nobis exigendum; prò-inde ut eum quolibet anno Nobis præsentent, ac demonstrent, Paternè illos exhortamur; caveantq; ut non tam temporalia, quàm ea, quæ DEI sunt, quærant; & omnia, quæ ipsis, sui instituti respectu incumbunt, diligenter observent.

CAPUT XI.

De recta Sacramentorum Administratione.

PAstor, aut Sacerdos, Sacramentorum Minister, diligenter studeat, ne sacra & tremenda mysteria, utpotè thesauros redemptionis nostræ in se continentia, ore polluto, fœdisvè manibus, peccatorumq; sordibus inquinatus, conficere, tractare, attingerevè audeat; sed ad sancta, sanctè & religiosè tractanda, integritate morum, sanctimoniâ vitæ, ac munditiâ conscientiæ instructus, accedat.

Cùmq; *Maledictus sit ille, qui opus Domini facit fraudulenter*; caveat summoperè quisq; ne absq; debita diligentia, attentione, & intentione Sacramentorum administrationem exercendo, errorem aliquem committat, circa materiam, aut circa formam; eamq; maledictionem, in se inducat. *Ierē: 48. v. 10.*

Ministrent autem ex ritu, & cerimoniis, in libro Agendorum præscriptis, superpelliceo, & stolâ induti; ac in talibus, memoriæ, ac tenacitati suæ confidere non audeant; in multos enim errores solent impingere, qui de se, suaq; memoria præsumere non verentur.

Qui quidem liber Agendorum, ut penes quamlibet Ecclesiam non laceratus, totus atq; integer habeatur, inspectioni Decanorum ac seriæ animadversioni eorundem, commendamus. Parochi qui Agenda maiori carere comperti fuerint, ad Nos deferantur, graviter puniendi.

Quocunq; tempore ad exercenda, & conferenda hæc Divina mysteria vocati fuerint, semper paratos, promptos ac vigilantes, animarum Curatores, sese præbeant, & exhibeant; & idcirco animo libenti, spontaneo ac benevolo, citrà omnem renitentiæ significationem, sacro muneri, & labori sese accingant; vultu placido, ac sereno officium suum peragant; ne casu quo mora admissa fuerit, aliquod, utinam non æternum, eveniat detrimentum.

Collimitaneos Catholicos inter hæreticos manentes, qui non *in loco pascuæ*, verùm *Canticum Domini*
Ps. 136. cantant *in terra aliena*; & nonnisi rariùs templa nostra accedere possunt, Rectoribus Ecclesiarum, in confinijs existentium, maximè recommendatos esse volumus; obsecrantes eos per viscera misericordiæ: ut talibus

libus quisq; omni possibili modo succurrat; & ubi ad illos, pro administratione Sacramentorum, vocati fuerint, nullâ distantiâ loci, nullis viarum incommodis, se excusent; quinimò, uti oviculas errabundas, paternè præ reliquis, complectantur; gratis, etiam sponte oblata non recipiendo, solo lucro animarum & gloriâ DEI contenti.

Ne tandem fidelis populus, à perceptione Sacramentorum, quovis modo terreatur, præsertim cùm Parochi, gravi supercilio, illa petentes excipiunt, aut ultra sortem eorum, aut debitum justitiæ, gabellas quasdam, aut solutiones exigunt; ne inquam, vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causas, adire despiciant; interdicimus omninò omnibus Presbyteris: ne quid verbis vel signis directè, vel indirectè, pro administratione Sacramentorum exigant; secùs Simoniacæ labis, & turpis avaritiæ, suspicionem nequaquàm effugient, sed pœnas luent, Canonicis Sanctionibus assignatas. Consvetudinem tamen, post administratum Sacramentum, liberè aliquid offerendi Sacerdoti pro sustentatione, non tollimus; sed exactiones, & licitationes, sub gravibus, iisq; irremissibiliter à Nobis, sive Officio Nostro pœnis, prohibemus.

Ut verò hæc Divina mysteria Fideles venerentur impensiùs, majoriq; ad illa desiderio accendantur, illis explicanda est dignitas, & præstantia Sacramento-

rum, tum in concionibus, tum in catechiſmis; exponant item: quid ſibi velint laudabiles & ſacræ, quibus Eccleſia in Sacramento quolibet utitur, cerimoniæ; quid ſcilicet ſignificent? quid connexionis, aptitudinis, & coaleſcentiæ cum re ſignata habeant? ne fortè à rudi & myſteriorum incapaci plebecula inane, & vacuum eſſe videatur ritus, ac cerimonias ejusmodi, circa Sacramentorum exercitium adhiberi. Quod, ut meliùs, & ipſi calleant, ac condiſcant, & Chriſti fidelibus explanent: Gavanti Opera, in quibus, de *Ritu Sacrorum* conſultò diſſeritur, accuratê legant, & præſtò habeant ad docendum.

CAPUT XII.

De Baptiſmo.

BAptiſmus, cùm ſit janua ad cætera Sacramenta, &
3. Tit. 5. per hocce ſalutiferum *regenerationis lavacrum*, ex filiis iræ, filii gratiæ efficimur; quare, ut quantocyùs fideles recurrant, ad Sacrum hoc Baptiſmatis Sacramentum, cum ſuis infantibus, ſeriò iisdem inculcandum; & illa S. Cypriani inſtructio fortiter exaggeranda: *Sciamus*, inquit, *diaboli nequitiam pertinacem, usq; ad aquam ſalutarem valere, in Baptiſmo verò, omnes nequitiæ ſuæ vires, amittere.* Et licèt:
S. Cypr. libro 4. Epiſt. 7.

Parochi

Parochi ſint ordinarij Baptiſmatis Miniſtri, vel ab ijs delegati Sacerdotes; in caſu tamen neceſſitatis, ubi periclitatur vita infantis, non modò Sacerdos quicunq; vel Diaconus, ſed etiam Laicus & mulier, imò hæreticus, baptizare poteſt, modò ea intentione faciat, quâ facit Eccleſia, & adhibeat materiam, nempe ſimplicem, & communem aquam, ac integrè proferat baptiſmi formam hanc: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, baptizare poteſt. Advertendum tamen diligenter: ut dum pronuntiatur forma, applicetur ſimul, & ſemel materia. *Con. Tri. Seſſ. 7. Can. 4.*

Nullus extra Eccleſiam, ac in domo privata, hocce Sacramentum audeat adminiſtrare, id enim ſolis Principibus ac Senatoriæ dignitatis hominibus, per Synodales Conſtitutiones, permittitur; niſi fortè domi, imminente mortis periculo, id facere compellatur.

Monemus quoq; & hortamur omnes Parochos: ut plebem, ac præſertim obſtetrices fœminas, doceant: quidquid eſt neceſſe ad hoc Sacramentum, non ſolùm validè, ſed etiam licitè adminiſtrandum; ne contingat ipſorum negligentiâ: ut parvuli minimè renati, ex aqua & Spiritu Sancto, non intrent in Regnum cælorum. Cæterùm noverint: ſi recens natus infans, aut etiam adultus, ab extraordinario Miniſtro baptizatus, mortis imminentis periculum evaſerit, ad Eccleſiam deferendum eſſe, ut ſacræ cerimoniæ adhibeantur.

Quòdsi prudens dubium subsit, infantem non fuisse baptizatum, eò, quòd aliqua, ex iis, quæ ad substantiam Sacramenti pertinent, sint omissa, hâc conditionis formulâ, baptizetur: *Si non es baptizatus, Ego te baptizo &c. ut supra.* Neq; hæc repetita, cum conditione, Baptismi collatio, iteratio dici potest: nam, ut benè monuit Gregorius Magnus: *Non monstratur iteratum, quando certis indicijs, non ostenditur ritè peractum.*

Unum duntaxat Patrinum, & unam Matrinam, ad levandum de fonte baptismali, Parochi admittant; quos noverint, ita esse fidei mysteriorum gnaros: ut eos, quos è Baptismo susceperint, præceptis & moribus Christianis imbuere, partesq; sibi impositas adimplere possint. Quamobrem admittendi non sunt hæretici, excommunicati, publicè criminosi, infames, amentes, & qui decimum quartum ætatis annum, nondum attigerunt. Doceantq; Parochi: cognationem spiritualem, impedientem, & dirimentem matrimonia, hoc nomine contrahi, inter suscipientes ex Baptismo, ac baptizatum ipsum, & inter illius Patrem ac Matrem, nec non inter baptizantem ac baptizatum, baptizatiq; Patrem ac Matrem tantùm. Quòdsi plures baptismo interfuerint, Parochus, antequàm ad conferendum Sacramentum accedat, diligenter, ad quos spectabit, sciscitetur: quem? vel quos elegerint? ut baptizandum ex sacro fonte suscipiant, ut inter eos tantùm, quos designaverint,

Con Tri. Sess. 24. de Ref. c. 2.

cogna-

cognatio contracta intelligatur; cæteri verò pro testibus habeantur.

Nemini Parochorum, liceat baptizare subditum alterius Parochiæ, sub pœna quinq; marcarum, proprio Parocho applicandarum. Si autem probetur eum, fraudulenter omisisse nomen Parochiæ, vel etiam nomen baptizati falsè annotâsse, vel absolutè libro metrices, talem baptismum non inseruisse, pœnâ dupli, & alijs arbitrarijs, veniet puniendus. Quòdsi verò de licentia proprii Parochi, vel etiam in casu necessitatis, sinè licentia, alienus Parochus aliquem baptizaverit, tunc hic, bâptismi sic collati notulam, eadem, vel subsequenti die, statim transmittet proprio Parocho, quæ ab utroq; libris Baptizatorum inseratur.

Ut autem libris hujusmodi, plenior adstruatur fides, Volumus: ut omnes eorum paginæ notentur, numerorum serie, prout conspicitur in libris typo impressis; utq; iidem numeri, apponantur singulis baptizatis, eo ordine, quo describuntur, inchoando à primo baptizato, ineunte anno, ad ultimum, qui annum claudet. Liber verò Baptizatorum, habeatur sub diligenti custodia, sitq; decens, ac benè compactus, in quo ipsemet Parochus, vel Vicarius, qui ex illis baptizaverit, propria manu, describat nomina, & cognomina Patris, & Matris, infantis baptizati; nec non Patrini ac Matrinæ; diemq; & annum collati baptismi, hoc modo:

Die Mense Anno Ego N. Parochus Ecclesiæ N. baptizavi N. Filium N. N. legitimorum Conjugum, natum die Patrini fuerunt N. N. Quòdsi partus illegitimus fuerit, scribatur: *Baptizavi N. ex incertis Parentibus natum &c.* nisi Parentes ipsi, partum pro suo agnoscant, velintq; nominatim exprimi. Studeant itaq; in iisdem libris metrices conscribendis, exactos se, ac diligentes exhibere; aliàs noverint se gravibus pœnis plectendos.

Ad consignandas autem, & firmioris fidei gratiâ, sigillo muniendas attestationes, ex libris metrices, desumptas, tùm, cùm sæpè etiam in aliis causis, signanter Matrimonialibus, sit necessarium Parochi testimonium; ex ignorantia verò illius manuscripti & sigilli, mendax possit esse fides, si alterius malitiâ confingatur; proinde ad quamlibet Ecclesiam Parochialem, sigillum Ecclesiæ proprium, ex ferro aut aurichalco, effigiem S. Patroni vel Patronæ, cum exaratione literarum in circumferentia, nominatim suæ Ecclesiæ, vg. *Sigillum Ecclesiæ Parochialis N.* Omnes & singulos Parochos, sub pœnis arbitrariis, in prima visitatione præsentandum, habere mandamus; ut etiam longè distantes, ex scriptura, tali sigillo firmata, testimonium præstitum, verum esse cognoscant.

Hortentur deinde Parochi, Matronas nobiles: ut pro benedictione consveta post partum, ad Ecclesiam conde-

condescendere non erubescant; quam quidem consvetudinem, benedicendi illas, in aula vel domo, uti Rituali Romano contrariam, abrogamus. Moneant etiam sæpiùs puerperas, vel nutrices: ne in eodem lecto ponant infantes, ob periculum oppressionis.

Ad extremum, negligentiæ Parochorum, ac perditioni animarum obviantes, si quando Nobis, vel Officio Nostro plenè constiterit, aliquem sinè baptismo infantem, ob absentiam, vel notabilem, culpabilemq; Parochi incuriam, è vivis decessisse; talem districta Canonica ultione puniri; siq; pluries, ejusdem criminis perpetrati, convictus fuerit: beneficio privari; imò tanquàm Cain à facie Diœcesis, eò, quòd sit pejoris malitiæ, animæ homicidium, quàm fuerit Cain fratricidium, eijci, & exturbari debere, declaramus.

CAPUT XIII.

De Confirmatione.

PArochi diebus aliquot, antequàm Confirmationis Sacramentum, quod nos armat, & induit virtute ex alto, in aliquo loco ministrabitur, ejus rei tempus, populo denuntient.

Et licèt peculiariter Festis Pentecostes, & aliis docere debent populum: de vi, & virtutibus ejus Sacramen-

ti, deq; magno religionis studio, quo suscipiendum est hoc Sacramentum; cujus ministrandi solus Episcopus ordinariam potestatem habet; id tamen accuratiùs tum faciant: ne populus rudis, & imparatus ad illud percipiendum accedat.

Egregiè proderit: illam Melchiadis Papæ admonitionem proferre in medium, hic enim quasi in eos invehendo, qui post Baptismum, Confirmationem supervacaneam judicabant, & eam negligebant; dixit: cogitat fortè aliquis, quid mihi prodest, post mysterium Baptismatis, mysterium Confirmationis? & quantùm video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem, adjectione novi generis indigemus? non ita dilectissimi, attendat Charitas Vestra, sicut exigit militaris ordo, ut cùm Jmperator quemcunq; militum receperit in numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis congruentibus instruat pugnaturum; ita in Baptizato, illa munitio est, dedisti militem, da ei adjumenta militiæ; nunquid prodest: si quisquam Parentum, magnam parvulo confert facultatem, nisi providere studeat & Tutorem; ita Paracletus regenerationis in Christo, Custos, & Consolator,& Tutor est; ideo dicit sermo Divinus: *Nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Ergo Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi, salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocen-

Epist. ad Episc. Hi. c. 2.

Ps. 126.

c. Spirit. 2. de Consecratio.

nocentiam; in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam: & quia in hoc mundo, tota ætate victuris, inter inviſibiles hoſtes, & pericula gradiendum eſt, in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam; in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur. *Hæc ille.*

Videant autem: ne quis eorum, qui ſibi in curam traditi ſunt, duodecimum annum agens, illud ſuſcipere negligat.

Adulti confirmandi moneantur: ut confeſſi & jejuni accedant. Jtem, ut nemo ſine Patrino uno tantùm, aut Matrina una, jam confirmatis, ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum accedat, non Patrem tamen aut Matrem, non vitricum, vel novercam, maritumvè, aut uxorem, confirmandus pro Patrino, vel Matrina, adhibeat; meminiſſe enim oportet: cognationem Spiritualem in hoc Sacramento contrahi, inter confirmantem & confirmatum, illiusquè Patrem, & Matrem, ac tenentem. Sacerdotes præſentes, tempore confirmationis, non ſe ingerant in ſupplendas vices Patrinorum, quòd Clericis, qui ſacris ſunt initiati, minimè convenit, & prohibetur.

Con. Tri. Seſſ. 24. cap. 2. de Reform.

CAPUT XIV.

De Euchariſtia.

MUltis quidem Scripturæ locis, innumeris Docto-

rum, & Sanctorum Virorum testimonijs, quotidianis,
& hactenùs durantibus miraculis, dignitas, excellentia, virtus, & eminentia hujus Sacramenti, fideli populo commendatur, illam tamen apprimè mellifluus Doctor circumscripsit, dum hocce augustissimum Eu-
S. Bern. Serm. de excellen. SS. Sacr. c. 10. charistiæ Sacramentum: *Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amorem amorum, dulcedinem omnium dulcedinum* nuncupavit. Accessit cum suo elogio Doctor Angelicus, dum idem Sacramentum: *Miraculorum à DEO factorum maximum* appellavit; &
S. Thom. Ep. 57. quomodò non miraculum, cùm in eo Filius DEI, Ma-
1. Pe. 1. 12. jestas illa, in quam *Angeli desiderant prospicere, exi-*
Phil. 2. 7. *nanivit quodammodò se ipsum, formam servi accipiens,* humano generi in cibum, & potum proposuit,
Ps. 110. v. 4. & propinavit. Verè: *memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus.* Quapropter scientes: quòd si *haberemus Angelicam puritatem, Sancti Joannis*
Thō. K. l. 4. c. 5. *Baptistæ Sanctitatem, non essemus adhuc digni accipere, & tractare tantum Sacramentum;* sicut enim nullum est tantæ majestatis, ùt est Sacrosancta Eucharistia, quæ ipsum salutis Auctorem & fontem continet, ita etiam nulla gravior, sceleris alicujus animadversio, à DEO metuenda est, quàm si DEUS ipse aliena velatus specie, indignè tractetur, aut sumatur. Ideo unusquisq;
1. Corin. 11. v. 28. 29. *dijudicet Corpus Domini, & se ipsum priùs probet:* ne quid ei, ad summam animi integritatem & innocen-

tiam

tiam desit, cùm ad hæc Sacra mysteria accedit, ut & iram DEI effugiat, & gratiæ uberioris, fructus capiat.

Diligenter igitur populus Christianus in concionibus instruendus est: qua, & animi, & corporis præparatione, opus habeat, ad percipiendum hoc cæleste alimentum. Summoperè autem cavendum Sacerdotibus, quàmvis & in alijs Sacramentis administrandis, tantò verò in eo magis, quantò cætera dignitate antecellit, ne ab illo Divino interdicto discedant: *Nolite Sanctum dare canibus, neq; mittere margaritas ante porcos.* *Math. 7. v. 6.*

Proinde arcendi sunt ab hoc Sacramento: publici concubinarii, ebriosi, feneratores, excommunicati, interdicti, & alii publicè scandalosi, qui semel atq; iterùm, promissa emendatione, revertuntur velut *canis ad vomitum, & sus ad volutabrum luti*; nisi postea eos, vitam & mores, re ipsa emendâsse, Parochi perspexerint. *1. Petr. 2. v. 22.*

Nec admittendi sunt quoq; pueri, usum rationis nondum habentes; adolescentulis autem, qui prima vice, Eucharistiam sumere voluerint, nisi benè examinatis: an hujus admirabilis Sacramenti, cognitionem aliquam acceperint, & gustum habeant, Parochi ne præbeant, & priùs illos, de vi & ratione hujus Sacramenti informent.

Amentibus quoq; & furiosis denegandum, prætérquàm cùm vel lucida habent intervalla, vel in mor-

tis articulo versantur, si modò vomitûs, aut alterius irreverentiæ & incommodi non timeatur periculum, & si antequàm in amentiam inciderent, desiderio hujus Sacramenti flagraverint.

Excutienda est eorum segnities, qui satis esse existimant: si semel duntaxat in anno, juxta præceptum Ecclesiæ, Corpus Domini accipiant, inducendiq; sunt: ut quemadmodùm corpori, ob ejus reficiendas vires, in singulos dies, alimentum subministrare, necessarium ducunt; ita etiam hoc Divino cibo, animam alere; nutrire, & reficere frequentissimè, saltem majoribus Festivitatibus curent.

Con. Tri. Sess. 13. Can. 9. Cùm autem nemo Paschali tempore (quod in hac Diœcesi, à Dominica Passionis, ad Dominicam secundam post Pascha inclusivè, durat) Eucharistiæ sumptionem, ulla de causa differre debeat (nisi fortè jubente vel svadente id Confessario) quicunq; id facere neglexerint, & quidem in propria ipsorum Parochiali Ecclesia, deq; manibus Parochi, aut Vicarii ejus, eorum nomina, Parochus scripto notata, Nobis vel Officio Nostro statim, post finitum tempus Confessionis Paschalis deferat, & nisi moniti resipuerint, ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & si moriantur, in locis Sacris ne sepeliantur, sub pœnis arbitrarijs. Non obstante: quòd aliqui inimicitiis, aut actione in Jure, impediri se à Sacra Communione causentur; quandoquidem

Ex Epi. Past: Macieioviana.

quidem petitâ veniâ & oblata satisfactione, semotâq; penitùs ex animo irâ & cupiditate vindictæ, habilem se quilibet ad eam reddere potest.

Ad effectum autem habendæ melioris notitiæ, qui huic Præcepto Ecclesiastico paruerint, vel non? sciant omninò Parochi, & habeant inscriptum numerum Parochianorum suorum; septimanâ verò, ante Confessionem Paschalem, schedulas impressas vel scriptas, omnibus distribuant; quas postea durante tempore Confessionis Paschalis, ab unoquoq; recipiant, sicquè numerum schedularum, cum numero personarum confrontent ac conferant.

Quòdsi quis à Parochia propria, tempore Paschali, Communionisq; ab Ecclesia præceptæ, absens fuerit; idem, intra dies octo post reditum, in dicta Parœcia sua communicare, sub pœna excommunicationis teneatur, nisi huic præcepto, in Ecclesia alia, se satisfecisse attestatione legitima, iustoq; deduxerit documento.

De illis verò, qui modò sub una, modò sub altera Parœcia domicilia habent, illud observari volumus: ut Parochorum alter, alterum sciscitetur, an tales præcepto Ecclesiæ satisfecerint, quòd si contrarium, ex relatione alterius Parochi perceperit, præscriptum supra, admonitionis modum, in eo exequatur.

Quia verò reperiuntur persæpè nonnulli, sub hoc Sacro Paschali tempore, in lecto ægritudinis depositi, in car-

in carceribusq; detenti, ut hac cælesti consolatione non priventur, illis, communionem in Paschate deferri, illosq; Agno vivifico refici præcipimus.

Abusui nonnullorum curam animarum gerentium, Statuto Synodali obviantes, ne quispiam Parochorum, sub tempus Confessionis Paschalis, labores circa Ecclesiam vel domum Plebanalem, ab accedentibus ad Confessionem exigere, populum fidelem gravare, per idq;, indispositos ad Divina reddere audeat, sub pœnis rigorosis interdicimus.

Ne turmatim ad Confessionem Paschalem, universæ Parochiæ habitatores confluant, commodissimum erit, Villarum Parochialium divisionem facere, & quæ quando Villæ? earumq; populus ad Confessionem & Communionem venire debeat? tempestivè decernere, & ex ambone nuntiare.

Muneris etiam omninò erit Parochorum, seu Concionatorum, populum sibi subjectum, sæpiùs admonere, ne infirmi, sine tam salutaris Viatici perceptione, ex hac vita decedant, ut tempestivè eis notificent, quoties aliquem infirmari contigerit; ut ad eum, Sacratissima Eucharistia summa cum reverentia deferatur.

Triden. Seff. 13. Can. 7.

Quando itaq; infirmis, hoc Sacramentum ministrandum erit, in oppidis & villis, ubi Ecclesia consistit, ut à Sacerdote induto stolâ & superpelliceo, in vasculo decenti & velato, sub umbella, ubi id commodè fieri poterit,

poterit, præcedentibus Ministris Ecclesiæ cum facibus, cereisvè accensis, & tintinnabulo, hymnosq; aut antiphonas, convenientes huic Sacramento canentibus, insistendo Statuto Serenissimi & Reverendissimi Principis Poloniarum, Caroli Ferdinandi Prædecessoris Nostri, in Synodo Plociæ, in Cathedrali *Anno* 1643. 22. *Mensis Septembris* habita, deportetur; statuimus, ut Parochi pro maiori populi devotione excitanda, & notabiliori, tam Sanctissimo & Augustissimo Sacramento, honore ac veneratione exhibenda, Viaticum eo modo, quo supra dictum est, ad infirmos deferant, ut vel sic populus devotus, illud comitari assvescat, idq; in contravenientes Parochos, sub pœna quinq; marcarum, ab Officio Ordinario ex delatione cujusvis extendenda.

Quòdsi remotiùs, Villa vel oppidum, ac proinde equitem oporteat ire Presbyterum, tunc omisso dicto apparatu, in Capsula auro vel serico texta, ex collo Sacerdotis, cum tintinnabulo pendente, modestè deferatur, ubi verò ad locum pervenerit, superpelliceum & stolam omninò adhibeat, ministratoq; Sacramento, sinè sonitu Campanulæ, atq; occultatâ capsulâ revertatur.

Præmonendi verò sunt diligenter ij, qui ægroti curam habent, ut ægrotantis cubiculum, ab omni sorde purgetur, res profanæ inde omnes amoveantur, mensa mappâ mundâ constrata, cruce & aliqua imagine sacra, ubi esse potest, candelabris, cereisq, saltem binis

instructa apparetur, pro collocando super Corporali Venerabili Sacramento.

Hoc autem Sacramentum, ne ad eum deferatur, qui illud verè sumpturus non est. Quòd si, dum Sacerdos ad infirmum venit, eum vi morbi, ita affectum invenerit, ut illud ei, ritè administrare non possit, tunc posita super mensam pyxide, immoretur paululùm, prostratusq; genibus, unà cum alijs, qui aderunt, DEUM supplex oret, actus amoris, doloris, spei ac fidei recitet, deindè consolatus salubriter pro tempore ægrotum, videndam, si id optet, atq; adorandam eidem Eucharistiam exhibeat, aut saltem recessurus, inclusâ in vasculo benedicat.

Potest autem, imò debet Sacramentum hoc, ministrari ægrotis, cùm periculum sit, ne sine Viatico decedant, quandoq; etiam noctu, post sumptum etiam cibum, si nil aliud obstet.

Monendi etiam sunt Magistratus, ne mulctandos capite, mori sine sacra Communione permittant, communicaturosq; hujusmodi, exolutos vinculis, educi è carcere, in liberiorem ac decentiorem locum, pro reverentia tanti Sacramenti faciant, nec quenquam eo die, quo Eucharistiam sumpsit, supplicio affici patiantur.

Ad extremum præcipimus districtè omnibus Parochis, eorumq; Vicariis, ut quotiescunq; hoc Sacramentum, fidelibus ministraverint, pro meliori recipienti-

um

um dispositione, actus fidei, spei, & charitatis eliciant, tam ante, quàm post Communionem, juxta præscriptas formulas, in appendice *Numero III.* appositas, idq; sub pœnis gravissimis irremissibiliter in contravenientes extendendis.

CAPUT XV.

De Sacrificio Missæ.

MAgna Sacerdotum dignitas, quia illis datum est, quod Angelis concessum non est, ij enim in eo, quod peragunt Sacrificio, mittunt ad DEUM hostiam, victimam offerunt, & quotidiana consecratione, mediatorem inter DEUM & Hominem, Christum constituunt; sed væ illis! qui dum pro alijs, Divinam exorant majestatem, sibi ipsis per indignam hujus mysterii tractationem, thesaurizant iram DEI, Omnipotentemq; provocant ad vindictam.

Considerent igitur Sacerdotes, quàm puras, illibatas, & omnis labis expertes eorum, oporteat esse manus, quæ *Panem Angelorum de cælo descendentem*, *Cibum in cujus fortitudine ambulamus*, Agnum immaculatum tractant, & aliis distribuunt; quàm pura, & cautè custodita lingua esse debeat, quæ verbis consecrationis, Christum de thalamo cælesti evocat; quàm casta labia,

Psal. 77. *Ioan. 6.* *3. Re. 19.*

bia, quæ quotidiè fiunt Christi cruore rubentia; quàm
1. Reg. 18. 1. pura *anima*, quæ continuis vicibus Christo *agglutinatur* tanquàm *Jonathæ*; quàm deniq; fervens cor, quod
S. Phil. Nerius. illum cælestis ardoris clibanum recipit assiduò, *Verè! quotidiè DEUM manducare, & ipsum non amare, res est terribilis!*

Advertant ex animo, atq; in id incumbant studiosè, ut in actu tam tremendi operis, fidem veram, opera bona, intentionem purissimam, cæterasq; virtutes, sibi habeant assistentes; quomodò enim cum tanta majestate congredi poterunt, quam totus Angelorum comitatur exercitus.

Ante Missam præmittenda est duplex præparatio:
Card. Bona. Trac. de Sacrif. Missæ. c. 7. vespere præcedente, cogitet Sacerdos se crastina die Hostiam salutarem DEO Omnipotenti immolaturum, eiq; cogitationi indormiat, addat brevem aliquem affectum reverentiæ, amoris, & desiderii. Sequenti die in eadem cogitatione & affectu evigilet, caveatq; diligenter, ne ampliùs ita se negotiis immergat, & ad externa dilabatur, ut cùm tempus ad celebrandum advenerit, se recolligere non possit; proximè ante Sacrum, terrenis omnibus cogitationibus abjectis, omniq; rerum agendarum solicitudine, mentem erigat ad cælestia; perpendat, qua devotione se sentiat ad celebrationem invitari, quo fine moveatur, conscientiam excutiat, & si aliquam maculam inesse deprehenderit, Confessione Sacramen-

cramentali eluat, cum intimo doloris sensu, ac firmo proposito emendationis, tùm breve tempus sumat, quo fidem mysterii excitet, charitatem accendat, Passionem Domini commemoret, dirigat intentionem, & DEI opem sibi, & aliis efflagitet, auxilium quoq; B. MARIÆ Virginis, & Sanctorum ferventer ac devotè imploret.

Ad inducendam verò in animos Sacerdotum puritatem, cùm eos semper stolâ innocentiæ indutos esse oporteat, sæpè ad Christum, totius innocentiæ Fontem confugiant, ascendant quotidiè Tribunal cordis sui, & per serium bis in die, examen conscientiæ, pravitates omnes inspiciant, & per pœnitentiam sæpiùs DEO reconciliari satagant

Sub tempus celebrationis Missarum, de negotiis domesticis, aut aliis quibusvis, nullum verbum proferant, sed silentium quò ad omnia externa observando, totos se Divino impendant ministerio. Rubricas Missalis accuratè observent, quæ ex libro legenda sunt, memoriter non recitent; quæ ab adstantibus audiri debent, altè pronuntient; quæ secretò proferenda, submissè legant; neq; voce neq; actione nimiùm festinent, aut è contra plùs æquo moras trahant, ne ex festinatione, irreverentia & irreligione notentur, tarditate verò, adstantes tædio afficiant, quare nec breviores sint horæ quadrante & dimidio, nec longiores semihorâ. *Con. Tri. Seß. 22. c. 5.*

Publicè aut notoriè criminosos, aut scandalosos, à celebran- *Con. Tri. Seß. 22.*

K

de obser. & evitan. in celeb. Miss. lebrandis Missæ Sacrificiis, arcendos præcipimus; qui secùs fecerit & admiserit, ab exercitio Sacrorum suspendetur, temerè verò ad Altare accedentes pœnis etiam corporalibus subijcientur, excusatione illa, quòd à Curia Nostra, super eorum publicis criminibus, processum non fuerit, minimè suffragante.

Sess. eadē. Peregrini quoq; & vagi Sacerdotes, absq; literis commendatitiis & Authenticis suorum Ordinariorum, & respectivè Regulares suorum Superiorum, à Missæ celebratione arceri volumus, nec tales ad administranda Sacramenta admitti, & multò magis in Vicarios suscipi; si quis præfata observare neglexerit, sacris interdicetur.

Quia verò passim Parochi & Beneficiati, ob deperditas Fundationes, aut ignorant, aut negligentiæ suæ connivendo, scire recusant, quæ & qualis celebrandi Missas, ijs incumbat obligatio? idcircò sub pœna duorum aureorum, Hospitali loci applicandorum, ut sedulò perquisitis, inspectisq; omnibus scripturis Archivi Ecclesiæ, onera Missarum ex iisdem depromant, tabulâq; ligneâ decenti confectâ, in illa, dicta onera, quot sint? titulo Beneficii vel pii Legati, ad tempus vel perpetuò, quo die? & quoties in septimana? vel in mense? aut qua anni parte? & quorum ex voluntate Fundatorum, conscribant, ac in Sacristia appendi faciant, quod ipsum faciendum decernimus, in aliquo libro ad id contexto, in quo etiam, non autem in Rubricellis, absolutæ

ſolutæ obligationes annotentur, idq; ſtatim poſtquàm gratiarum actionem abſolverint.

In celebrandis Miſſis pro eleemoſyna, valdè ſint cauti, cuncti Presbyteri, ne paciſcantur aut quidpiam exigant, caveantq; ne ſicut Catholicos Sacerdotes, de appretiatione Miſſarum, & vulgus imperitum & adverſarii criminantur, eorum temerariè dicta, facto ſuo flagitioſo confirment; quinimò ab hac infamia, Sacerdotalem dignitatem unusquisquè vindicare ſtudeat; accipere tamen liceat, cùm ab aliquo fidelium, ultrò & voluntariè quidpiam offertur; ſint tamen circumſpecti, ne dùm Miſſas, ſola ſpe mercedis illecti, celebrant, gravibus culpis, conſcientias ſuas illaqueant; non poſſe enim Sacerdotem illa intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam conſequatur, inſtruit S: Thomas.

Seſſ. 22. qua ſupra

Ep. 65. Tit. de Horis Can.

Miſſas, quæ certis diebus menſium vel hebdomadarum ſunt appoſitæ, nemini liceat, in alios dies vel loca removere, vel transferre, niſi ſit dies Feſto aliquo impeditus, tunc in proximè ſequentem, tranſlatio fiet. Miſſa enim ſuffragium eſt, quod à Fundatoribus ſuis, præcipuè defunctis, nequaquàm convenit expectari, & intentiones illorum defraudari.

Nemo item ad prædicta Sacrificij myſteria, niſi recitatis horis Canonicis, ſaltem matutino & laudibus accedere, & contra diſpoſitionem Rubri Diœceſani celebrare, quantò magis Officium de diverſo, Miſſam de alio

Festo, absolvere audeat. Qui verò repertus fuerit Rubro Dioecesis carere, hunc poenâ quinq; marcarum, per Decanum loci, mulctandum decernimus.

Ad mentem autem Concilii Tridentini ordinamus: ut quilibet Curatus Missæ Sacrificium celebrando, saltem diebus Dominicis & Festis, pro populo idem offerat, non immemor tamen illius quod V. Beda dixerat: *Sacerdos legitimè non impeditus, celebrare omittens, quantùm in eo est, privat Sanctissimam Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores, & in purgatorio existentes veniâ, justos subsidio & gratiâ, Ecclesiam Spirituali beneficio & semetipsum medicinâ ac remedio.*

Cong. Conc. in Lucana 10. Maj 1681. & 10. Maj 1692. in Meliten. apud Monacell. part. 1. tit. 2. form. 2. n. 4.

Hostiæ habeantur ad Sacrificium Missæ, ex farina triticea, munda, recenti, & vinum purum, clarum, non acidum, benè servatum, in quo sæpè defecisse, multi Parochi præsertim Villani sunt reperti; & quò ad hanc materiam Sacramenti, obligat Synodus, omnes Beneficiatos, sub gravissimo onere conscientiæ & reatu, licet conscientias illorum, etiam obliget ipsa fides, & præscriptum Sacrorum Canonum.

Hortentur item Curati, cunctos suæ Parochiæ fideles, ut omnes, Festis diebus Missam audiant, in Ecclesia Parochiali; in qua per baptismum regenerati, atq; heredes Regni cælestis facti sunt, moneantq; diligenter, teneri unumquemq; Parochiæ suæ interesse, ubi id commodè fieri potest, ad audiendum Verbum DEI.

Con. Tri. Sess. 24. c. 4. de Reform.

Sic ubi

Sicubi verò copia Sacerdotum, circa Ecclesiam Parochialem reperitur, prima Missa summo mane dicatur, ut illi, qui huic interfuerunt, domum redire, & qui ibi remanserant, inde ad Ecclesiam, antequàm altera Missa incipiat, tempestivè venire valeant; summo Sacrificio celebrando, horam decimam, ita ut mediâ ad duodecimam, devotio finiatur, designamus; etsi quis, horâ decimâ, pro audiendis Divinis non venerit; etiamsi Jure Patronatûs gaudeat, expectandum non esse decernimus, quia propter unum expectando, sæpius alii tædio affecti, non auditâ Missâ, domum revertuntur.

Sacerdotes celebrantes, pileos, chirothecas, manicas in Altari ne ponant, nec quidquam aliud, præter ea tantùm, quæ ad Missam celebrandam pertinent. Nec Parochi permittant, panes, caseos, & id genus, rusticorum oblationes, in aliquo altarium reponi, sed ad ea excipienda, sportam ab Altari aliquantò remotiùs, collocatam habeant, nec etiam patiantur superstitiosè bestiis, Altare circumduci, quæ cùm offeruntur, ad portas Ecclesiæ recipiantur.

Missarum celebrationes, pro eleemosyna futura, in posterum danda, uti ab Ecclesia improbatas, præsenti Synodo interdicimus.

Et quia plures abusus, in Diœcesim nostram, irrepsisse advertimus, cùm Magnates, Dominiq́, sæculares, copiam Ecclesiarum, circumquaq; habentes, privata

Oratoria in domibus Curiarum ſuarum erigere, imò in hypocauſtis, à profano uſu, non ſegregatis, Divina myſteria celebrare facere, ad idq́, Indulta ſolicitè inquirere, habent in conſveto: Quocirca his abuſibus obviando, Decretum p. m. Clementis XI. Papæ, *die* 15. *Menſis Decembris*, 1703. latum, *octavâ* verò *Januarij* 1704. publicatum, omnibus Capellanis, & Sæcularibus & Regularibus Presbyteris, ponimus & in memoriam revocamus. In domibus itaq; Oratoriis & Capellis privatis, nullus Sacerdotum tam Sæcularium quàm Regularium, cujuscunq; Indulti prætextu præſumat, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, celebrare Miſſæ Sacrificium; niſi hujusmodi Indultum per Nos ac Succeſſores Noſtros admiſſum ſeu datum fuerit.

Promulgamus etiam, quòd Regularibus cujuscunq; Ordinis, nec non Societatis JESU, & quibuscunq; aliis Sacerdotibus, ne audeant celebrare in Oratoriis privatis, quæ per Sedem Apoſtolicam concedi ſolent, in diebus Solennioribus, in Indulto exceptis, in reliquis verò diebus, præter unicam Miſſam, horâ debitâ, & nunquam poſt meridiem, totaliter ſit inhibitum; Deniq; omnibus & ſingulis, notum facimus, perſonas contravenientes huic Decreto, Eccleſiæ præcepto, de audienda Miſſa, nullatenùs ſatisfacere, & Regulares, Privilegio Altaris portatilis, tanquàm per Concilium revocato, uti non poſſe, nec debere.

Scire

Scire tandem volumus universos, datam & concessam esse facultatem Ordinariis locorum, procedendi contra quoscunq; contravenientes, quàmvis Regulares, ad pœnas *à Concilio Tridentino* præscriptas, ac etiam ad censuras latæ sententiæ, contra eosdem publicandas. *Sess. 22. c. unic.*

Ad pleniorem verò notitiam, quænam Capellæ intra Diœcesim inveniantur? eas, in spatio duorum mensium, à publicatione præsentium, per Decanos locorum visitari, circumscribi, Indulta revideri, à quonam? quo Die & Anno? & ad quod tempus data sint? adnotari, & hanccè informationem ad Nos transmitti; celebrantes, ac Decreto contravenientes, per Decanos deferri, sub pœna suspensionis, præcipimus.

Commendamus tandem Officiis Nostris, ut Indulta ad Oratoria privata, nemini concedant, quorum concessionem Nobis ipsis reservamus.

CAPUT XVI.

De Conservatione Sanctissimi Sacramenti, Processionibus cum eodem, atq; ejus Expositionibus.

QUàm indignum ac vituperabile est, tam pretiosum nostræ felicitatis pignus, CHRISTUM, sub

Speciebus latitantem, taliter qualiter, non procuratâ eidem condigna Sede, in Altaribus collocare, quisq; judicet; si hospitem majoris prærogativæ, aut Sæcularem Dominum; temporalis boni datorem, eâ, quâ par est, reverentiâ excipimus, eiq; congruam Sedem procuramus, quantâ convenit reverentiâ, æterni boni Largitorem, intra penetralia Ecclesiæ suscipere, eiq; sedem ac stationem, thronum, ac locum decentem providere. Et tamen, quàm multi hanc causam DEI relinquimus, & ordinatis, ad nobis necessaria, fructibus, ac redditibus Ecclesiæ, Panem Angelicum, parvo ergastulo ac ciboriolo, contentum esse toleramus. Quocirca venerationi Illius, ac observationi omni possibili, consulentes:

Cunctis Ecclesiarum Rectoribus ac Parochis, sub interminatione Divini Judicii præcipimus, ut pro asservando hoc Sanctissimo Sacramento, Tabernaculum affabrè factum, in altari majori, ita ut moveri de loco nequeat, affixum, decenter intus & foris adornatum, conopeo ex serico contexto, desuper contectum, benè clausum, ac forti clausura præmunitum, in suis Ecclesiis habere conentur, nec in iisdem Ciboriis, aliquid aliud, etiam Sacrum recondi, aut reponi sinant.

Cong. Epis. 6. Decebris 1594.

Injungimus etiam sub pœnis gravissimis, ut claves à Ciborio nemini tradantur, sed penes solos Parochos, seu eorum Vicarios, perpetuò maneant, sive in Sacri-

stia

stia in aliquo armariolo asserventur, ita ut Laicis, nefas sit, easdem claves habere, quod etiam de clavibus ab Oleis sacris observetur.

Cùm autem species, sub quibus, Humanatum Verbum latere credimus, corruptioni subjacere novimus, ut hostiæ consecratæ, hieme singulis quindecim, æstate verò octo diebus, renoventur, renovationisq; tabula, in Sacristia, consultò appensa sit, in eaq; quotocunq; tempore, facta fuerit renovatio, connotetur, præcipimus.

Animadvertimus etiam, ex crebra Sanctissimi Sacramenti expositione, vilescere observantiam & reverentiam, tam præcelso Sacramento debitam, insistendo itaq; Declarationi *per Breve Innocentii Papæ X. pro Regno Poloniæ,* 20. *Aprilis Anno* 1645. *emanatum,* prohibemus: ne quis sinè Nostra vel Officii Nostri Generalis licentia, cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Processiones facere, illudq; exponere præsumat, præterquàm in Festo, & per Octavam Sanctissimi Corporis Christi, in Festo Patroni Ecclesiæ, sub cujus invocatione, illa erecta est. In Ecclesiis autem Regularium, etiam in Festis SS. Patriarcharum, eorundem Ordinum, tùm aliorum Sanctorum sui Ordinis, ab Ecclesia canonizatorum; pariter in illis Ecclesiis, ubi Confraternitates, sub invocatione Beatissimæ Virginis MARIÆ institutæ sunt, si talis consvetudo recepta, in Festivitatibus ejusdem Gloriosissimæ

ſiſſimæ DEIparæ, expoſitiones & Proceſſiones fieri annuimus. Nec non in diebus Quadrageſimæ, quando in aliqua Eccleſia, Devotio, communiter nuncupari ſolita, *Paſsio* peragitur. Jtem ſi Confraternitates, ſub Titulo aliquorum Sanctorum, canonicè erectæ fuerint, licitum maneat illis Confraternitatibus, in die Principalis Patroni, à primis Veſperis, usq; ad ſecundas, in reliquis verò quatuor ſolennioribus Feſtivitatibus, quæ conſveverunt adjungi, Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti de mane tantùm fiat.

Circa expoſitionem Sanctiſſimi, illud etiam obſervari volumus, ut circa tabernaculum, ſeu aliàs in Altari, ſex ad minimum candelæ, exceptis lampadibus accendantur, ſervitoresq; Eccleſiæ, ad emungendas candelas, accedentes, ſuperpelliceo ſemper induantur.

CAPUT XVII.

De Oneribus Miſſarum, Reductioneq; earundem.

DIximus ſub Capite XV. aliquantulùm de Miſſarum oneribus, & ea præſcripta in tabulis, ac in Sacriſtia appenſa, haberi præcepimus; Verùm pleniorem, hoc in paſſu, inſtructionem Clero Diœceſano commen

commendantes, imprimis districta prohibitione vetamus: ne quispiam Beneficiatorum, plures, quàm sunt ad præsens, obligationes in se, suamq; Ecclesiam assumere, Inscriptiones clandestinas admittere, & non tam DEI Gloriam quærere, quàm avaritiæ & cupiditati suæ, indulgere audeat & præsumat.

Si quo itaq; tempore, aliquis proborum ac devotorum hominum, animæ suæ, vel alienæ suffragium facere, eoq; fine Anniversaria, Missarum celebratione, constituere voluerit, id priùs Officio Nostro deferatur, & servatis servandis, approbatio vel admissio procuretur.

Et ne in iisdem admittendis vel approbandis, Officia Nostra prompta sint, hac Synodali Constitutione declaramus, quòd nisi proventus ac redditus, adjunctis oneribus respondeant, approbationis & admissionis beneficium nullatenùs sortiantur.

Cùm autem temporum iniquitate, rerum æstimatione, valoris monetæ immutatione, Fundationes antiquas in suffragium animarum institutas, in suis censibus & proventibus, ita extenuatas esse comperimus, ut plerumq; intentiones piæ ac voluntates depereant: Idcirco inhærendo Declarationi & Facultati S. Congregationis Eminentissimorum & Reverendissimorum DD. S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, SS. Conc: Tridentini Interpretum, Nobis Anno Millesimo, Septingentesimo Vi-

gesimo Octavo, *Die* 29. *Novembris* concessæ, ita reduci ordinamus. Postquam coram Nobis vel Nostris ad revidenda Privilegia, Erectiones, Fundationes Beneficiorum, Deputatis Commissariis, de veritate narratorum constiterit, à Nobis moderationis Decretum, in scriptis, in eum modum obtineant, ut ex Proventu unius floreni, currentis monetæ in Regno, una Missa legatur; Cantata verò, habita ratione Sacerdotis, & Ministrorum ad Cantum pertinentium, juncto Officio Defunctorum, pro tribus florenis; in Communitatibus autem, pro quinq; florenis; ita tamen, ut eorum Benefactorum piæ intentioni, præmisso modo satisfiat, & commemoratio eorum, nunquàm omittatur; cum ea tamen conditione & cautione, ut hæc indulgentia & reductio Missarum, negligentibus Sacerdotibus, & proventus suorum Beneficiorum, non vindicantibus, nullatenùs suffragetur. Ad effectum autem, hujusmodi revisionis Fundationum, Perillustres, Jllustres, Admodum Reverendos, Archidiaconos Plocensem, Dobrynensem & Pultoviensem, tùm Casimirum Łempicki Canonicum Plocensem, in Wizna; Boguslaum Bromierski, Canonicum Plocensem; Casimirum Rokitnicki Canonicum Plocensem, in Prasnysz; Paulum Dominicum Dromler Uq; J. D. Canonicum Plocensem, Curiæ Nostræ Auditorem, in Brańszczyk; Joannem Bagiński Canonicum Pultoviensem, in Gzy; Carolum Kreni Uq; J. D. Canonicum

nicum Pultoviensem, in Skaryszewo; Martinum Strachocki Canonicum Collegiatæ Plocensis, in Gralewo; Augustinum Fompre, in Stanisławowo Curatos, Commissarios Nostros deputavimus.

Quatenùs autem tam Sæculares, quàm cujusvis Ordinis Regulares, sinè expresso Consensu, scitu & Authoritate Nostra Ordinaria, ac Superiorum suorum Regularium, post publicationem præsentis Nostræ Constitutionis, novas Fundationes, aut nova onera, perpetuò Missas absolvendi suscipere, ac summas quasvis, eo nomine super bonis quibusvis, officiosè inscriptas, de loco in locum, sinè speciali Nostra licentia, in scriptis obtinenda, transferre minimè audeant & præsumant, sub pœnis Canonicis inhibemus.

CAPUT XVIII.

De Pœnitentia.

NOn satis erat, Divinæ bonitati, peccata nostra per Baptismi gratiam condonare, voluit etiam secuturis delictis, eâdem suâ clementiâ subvenire; proposuit idcircò, per Pœnitentiæ Sacramentum, nitrum *Malach.* & *herbam fullonum*, quæ non corpora, sed animas red *3. v. 2.* dit nitidissimas, & *resinam* illam *Galaad* quæ tametsi *Ierē. c. 8* carnem, quadam mordacitate, pungit & corrumpit, ta- *v. 22.* men

men mentis medetur & succurrit vitiis, internumq; hominem renovans, ad firmiorem in dies provehit sani-
Ephe. 5. v. 27. tatem. Hæc, CHRISTI in terris repurgat *Ecclesiam, exhibens ei gloriosam, non habentem maculam, neq; rugam* adeò, ut sit Sancta & tota pulchra, non quòd in ea peccata non fiant, sed quòd peccata in ea hærere nequeant, cùm quotidiè per pœnitentiæ subsidia repellantur.

Quàm mirè autem per Pœnitentiam, flectatur Omnipotens, exemplis, præter Sacram Scripturam, plena
2. Paralip. 20. ubiq; sunt Sanctorum Patrum volumina. Josaphat ubi se cum toto populo, in pœnitentiam coram Domino prostravit, contra Ammonitas & Jdumæos, numero militum
3. Re. 21. & armis superiores, victoriam obtinuit: Achab ingens malum, à capite suo per pœnitentiam depulit: lo-
Jon. 3. cutus est Dominus, contra Ninivitas ut disperderet eos, mox ut illi priorem peccatorum suorum fastum, Pœnitentiæ humiliatione mutaverunt, Dominus quoq; rescissâ pœnarum Sententiâ, iram suam in subitaneam commiserationem convertit. Quapropter & David ex-
Ps. 102. clamat tripudians: *Benedic anima mea Domino &c. qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.*

Con. Tri Sess. 14. de Confes. c. 5. 7. 8. Cùm autem Sacerdos, qui audit Confessiones, magni ponderis & momenti Officium exerceat; Judicis enim peccatorum & Medici simul personam gerit, non vulgari scientia instructus sit, necesse est: quâ & peccata

investi-

investigare, & ex variis peccatorum generibus & speciebus, quæ mortalia, quæ venialia? quæ commissa, quæ omissa sint? ubi restitutioni? ubi reiterandæ Confessioni sit locus? tùm quoq; qui casus, irregularitatis, excommunicationis, & alias Censuras Ecclesiasticas annexas habeant? qui sint Summo Pontifici, quivè Episcopo reservati? & quæ cuiq; peccato pœna conveniat? quivè solvendi vel ligandi sint? pro cujusq; hominis Statu & Officio, benè dijudicare possit.

Ut autem Medicus est, summâ prudentiâ indiget, in circumstantiis peccatorum indagandis, & in talibus remediis ægroto adhibendis, quæ ad illius animam sanandam, & in posterum, contra vim morbi muniendam, aptiora sint.

Bonitatis item affectu præditus esse debet, ut peccato mortali careat, & cùm *ipse* quoq; *circumdatus sit infirmitate*, sciat *condolere ijs, qui errant*, offendunt & prolabuntur in viis Domini, cum ea discretione tamen, ne indulgentiùs cum pœnitentibus agendo, & minùs salutares & convenientes pœnas, ipsis injungendo, clavium potestatem, in vilipendium adducat; & ne ipse peccatis alienis communicet, sed ut eos summâ curâ erigat, adjuvet, eorumq; salutem animarum diligat. *Hebr. 5. v. 2.*

Quantumvis autem omni qualitate, scientiâ & prudentiâ sit præditus Sacerdos, præter potestatem Ordinis, ad valorem absolutionis, debet habere etiam potestatem

Jurisdictionis. Nemo itaq; Confessiones etiam peccatorum duntaxat venialium, extra mortis articulum excipere audeat, nisi à Nobis, vel Vicario Nostro Generali, prævio examine & licentiâ in scriptis obtentâ, fuerit approbatus. Quæ approbatio etiam per Regulares, ad audiendas Confessiones præsertim Sæcularium, est obtinenda; nec eam ultra terminos præscriptos durare, nec extra fines locorum, ad quæ restringitur, valere debere declaramus.

Con. Tri Sess. 14. c. 7. de Pœnit. & Sess. 23. c. 15. de Ref. Constit. Clement. X. quæ incip: Superna.

Cùm autem scientia, vel maximè Authorum lectione crescit, & augetur, Confessarii non per accidens, sed ex professo lectioni Casisticæ dent operam, habeantq; ad manum volumina, quorum resolutionibus sese instruere, vel difficultate quapiam occurrente, ad ea, pro excipienda resolutione possint recurrere.

Sedem autem pro audiendis Confessionibus, in Ecclesia habeant, non tamen in locis obscuris, & à conspectu hominum distantibus, neq; in Sacristia, sine necessitate, vel domo privata, Confessiones audire præsumant, nisi tempore morbi; & cùm hoc Sacramentum administrant, superpelliceo & stolâ utantur. Cùm autem ipsi Sacerdotes confitentur, non debent accedere in alba, sive superpelliceo & stolâ, quia hæc sunt signa innocentiæ.

Caveant etiam, ne à circumstantibus, Confitentium peccata audiantur, sedeant recto vultu, tanquàm Judices,

dices, in loco DEI constituti, nullum, compositione sui corporis, Pœnitenti inferendo incommodum, nec dent ullo signo externo indignationis, peccatorum aliquam notam, sed leniter & svaviter audiant confitentem. Etsi ignorantem adverterint, tùm benignè, & cum compassione interrogent, quàm pridem confessus fuerit? an pœnitentiam absolverit? an sciat rudimenta fidei? examinent etiam cum discretione, ne ignorantem indiscreta interrogatione in peccatis instruant. Interrogabunt deinceps simplices, pro validitate & integritate hujus Sacramenti; an aliquod peccatum, vel ex simplicitate vel oblivione, vel ex malitia aut pudore, consultò non celaverint in Confessione præterita? admoneant ipsos, ut sincerè fateantur peccata sua, quia exindè pendet integritas Confessionis.

Inquirant præterea de conditione, ætate, juvat enim ad dignoscendam gravitatem & malitiam, ejus notitia; de numero & circumstantiis delictorum aggravantibus vel mutantibus speciem peccati, an Censuris non sint innodati? ob quam causam? & à quo? iracundis, qui ignoscere nolunt, recidivis, qui statim *ut canes redeunt* 1. Pet. 2.
ad vomitum sine omni etiam brevi abstinentia à peccato, & conatu abstinendi, nolentibus proximas occasiones peccandi relinquere, dum possint, cum scandalo publico viventibus, vel nolentibus famam aut bona alterius restituere, aut damna alteri causata compensare,

Decimas & Cenſus, utpotè quæ ſunt DEI, DEO tribuere, abſolutionem denegent aut ſuſpendant.

Afflictis & tribulatis, proponant finem malorum, & futuram ſinè fine beatitudinem; Superbis, vanitatem gloriæ tranſitoriæ; diſſolutis & voluptuoſis, *momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat*; puſillanimes erigant, ſpe miſericordiæ Divinæ, & Paſſione Chriſti; contemptim peccantes & duros corde, terreant juſtitiâ & pœnis inferni, ac incertitudine diei pœnitentiæ, hæc & ſimilia ubi opportunitas exegerit, inſinuando.

Et cùm ſoleat contingere, quòd in concurſu magno populi, properanter Confeſſiones expediantur, Confeſſarios omnes, ſeriò admonitos habere volumus, ut non attenta multitudine populi, ſatiùs paucorum audiant Confeſſiones, quàm ut multos expediant, ſinè exacta diſpoſitione, & cum periculo defectûs integralis, aut aliàs invalidæ, ſeu infructuoſæ Confeſſionis. Cum rudibus & ſimplicioribus, actus contritionis, actus propoſiti & Divini amoris eliciant, & illos nunquàm niſi intellecto vero dolore, cum abſolutionis beneficio dimittant.

In pœnitentiis verò injungendis, maximè Conjugatis, ex quibus aliqua ſuſpicio delicti exoriri poſſit, Confeſſarii ſint diſcreti, in publicis autem pœnitentiis ſint cautiſſimi.

Caveant præterea, ne peccata audita in Confeſſione

ne, verbo vel ſigno aut quovis modo, directè vel indirectè, extra illam prodant, ſub pœnis depoſitionis, aliisq; rigoroſiſſimè in Jure ſancitis.

Valdè nobis diſplicet intemperata Sacerdotum quorundam garrulitas, qui in publicis maximè congreſſibus & Conviviis, improvidè, caſus & hiſtorias ex Confeſſione acceptas, plerumquè riſui & audientium cachinnis obijciunt, quàmvis enim Pœnitentium famæ, non revelato eorum nomine conſulant, tamen ipſi Pœnitentiæ Sacramento, cujus materia, ſub ſecretiſſimis ſilentii clavibus cuſtodienda eſt, turpiter detrahunt. Quocirca cùm ejusmodi inconſulta loquacitas, ſcandali ſcopulum non effugiat; vel enim audientes peccare docentur, & in imaginationibus maculantur, vel ſimilium peccatorum conſcii, à confitendo abſterrentur, vel deniq; per brevem aut longam, ad unum & alterum, malæ fabulæ traditionem, ad Authorem à ſuſpicionibus devenitur; ejusmodi diſcurſus, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus, interdicimus. Inſuper ſi quis, de ejusmodi temeritate, delatus fuerit, ipſum ſeveræ reprehenſionis pœnam, non evaſurum declaramus.

Et quia plerumq; in falſi Teſtis manu eſt, ut non ſolùm facultatibus homines, ſed ſæpiùs etiam honore & vitâ priventur; quod ſcelus, in hac Diœceſi, non adeò rarum eſſe videtur; idcircò caveant diligenter Confeſſores; à Nobis, caſuum reſervatorum facultatem haben-

tes, ne quenquam absolvant, qui falsum testimonium in Judicio, vel extra, cum alterius detrimento dixerit, nisi priùs parti læsæ, pro damno, & pro violata existimatione, quatenus sarciri poterit, satisfecerit.

Seriæ etiam solicitudini Confessariorum, seu veriùs Parochorum commendamus, & intimamus, sub pœnaq; suspensionis, & alia graviori imponenda, interdicimus: nequis illegitimè, de veneficio, per Laicalem solùm disquisitionem, suspectis & condemnatis hominibus, assistere audeat, & præsumat; nisi fortè de Nostra, vel Officij Nostri, Inquisitione, de qua *sub Capite de sagis* suprà innuimus, ejus criminis cognitio processerit, ut per id, Sæcularis potestas, à dijudicatione talis Causæ, quæ est inchoativè verè Spiritualis, arceatur; inaniterq; homines vitâ suâ temporali non spolientur & priventur.

Tandem pro ratione Præcepti Ecclesiæ, omnes Christi Fideles sub mortali obligantis, ad Confessionem & Communionem Paschalem quotannis peragendam, inculcamus Parochis, præcipimusq; ut omnes, suæ Parochiæ subjectos, incipiendo ab his, qui septimum ætatis annum expleverunt, per aliquem Ecclesiæ ministrum, fideliter describi, & ordine Villarum disposito, ex qualibet Villa, distincto die, ad Ecclesiam convenire, & Confessionem ac Communionem, quotannis absolvere faciant; exactionibus, prætextu schedularum, multò

multò magis laboribus servilibus, intuitu audiendæ Confessionis, eosdem non gravantes.

Summoperè ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, pertinet cognoscere, Censurarum vim & rationem, casus reservatos, qui Jure Canonum, Summo Pontifici? qui Ordinario? qui præterea in Bulla Cænæ Domini? quiq; pro varietate temporum Episcopo sunt reservati? pro meliori Bullæ Cænæ Domini notitia, eandem in Appendice sub *Numero IV.* adjungimus, Feriâ Quintâ, in Septimana Sancta, quotannis, coram populo, ad Divina audienda, congregato, ex ambone publicandam.

CAPUT XIX.
De Casibus Reservatis.

TAmetsi quilibet Sacerdos, in Sacro Presbyteratûs Ordine constitutus, ligandi atq; solvendi habeat potestatem, quia tamen Authoritas & Jurisdictio Superiorum, condignè non posset eminere, si inferiores, parem sibi præsumerent usurpare; ideò hæc potestas certis terminis venit limitanda. Deinde cùm majora indelicta, majori quoq; Superiorum animadversione indigeant, ne delinquentes à quibusvis, sed à summis Sacerdotibus absolvantur, taliterq, per necessarium recur-

ſum, à graviter peccando arceantur, neceſſe ſit. Propterea ſaluti animarum, magis ac magis providere cupientes, Decreti præſentis Synodalis vigore, ſancimus: ut nullus, tam Sæcularis quàm Regularis Presbyter, ſinè ſpeciali à Nobis facultate obtenta, quenquam, niſi fortè in mortis articulo, abſolvere audeat, à Caſibus inferiùs deſcriptis, qui Sedi Noſtræ Ordinariæ reſervantur

I. Levis percuſſio Clerici.

II. Omne crimen Pontifici reſervatum, ſi fuerit occultum.

III. Incendium frugum, Domorum, ſi fiat ex deliberata voluntate, pariter conſilium, auxilium ad id dantes.

IV. Blaſphemia publica & notoria.

V. Peccatum publicum, ob quod publica & ſolennis pœnitentia eſt imponenda, præcipuè concubinatus publicus, & adulterium publicum.

VI. Homicidium voluntarium, vel realis alicujus membri abſciſſio.

VII. Crimen falſi, cùm quis Scripturas vitiat, vel dat falſum Teſtimonium.

VIII. Sacrilegium, hoc eſt rei Sacræ, vel etiam profanæ, in loco Sacro, per furtum vel rapinam ablatio.

IX. Uſurpatio bonorum, poſt Clericos demortuos, ſive teſtatos, ſive inteſtatos, ſi id fiat, ſinè ſcitu & licentia Noſtra vel Officii.

X. Procuratio abortûs.

XI. Sorti-

XI. Sortilegium, divinatio, incantatio, per tacitam vel manifestam Dæmonis invocationem.

XII. Oppressio infantum in lecto.

XIII. Incestus.

XIV. Violatio monialis, vel Sacrilegium cum eadem commissum.

XV. Peccatum Sodomiticum, vel bestialitas.

XVI. Detentio legatorum, Censuum, Decimarum, Missalium & aliorum Proventuum, ad Ecclesias pertinentium.

XVII. Ultimarum voluntatum, intra annum, vel supervenienté aliqua causa, intra biennium, non executio.

XVIII. Inter Conjuges, qui legitimè matrimonium contraxerant, dissensionum concitatio, eorundemq; ad procurandum divortium solicitatio.

XIX. Percussio Parentum.

XX. Occultantes malitiosè ultimas voluntates, malitioseq; easdem impedientes.

XXI. Abutentes Sacrosanctâ Eucharistiâ, & Sacris oleis, vel Sacris Reliquiis.

XXII. Violatio Ecclesiæ seu Cœmeterii.

XXIII. Servientes & famulantes continuò Judæis.

Regulares, etiamsi vigore Privilegiorum suorum, à Sancta Sede Apostolica, sibi concessorum, habeant facultatem absolvendi à Casibus Papæ reservatis, non pos-

ſunt tamen abſolvere à Caſibus reſervatis Epiſcopo, niſi ad hoc, ſpecialem ab eodem, vel ejus Officio, habuerint facultatem, in quo illos præmonitos eſſe volumus.

CAPUT XX.

De Extrema Unctione.

Eccl. 40. v. 1. OCcupatio magna, inquit Sapiens, *creata eſt omnibus hominibus, & jugum grave ſuper filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, usq; in diem ſepulturæ in matrem omnium*; Verè magna occupatio! quæ niſi in mortis articulo terminatur, ex quo enim in lucem vitalem egredimur, culpa peccati, infauſta Adæ hereditas, quâ per transgreſſionem Parentum, rei conſtituimur iræ DEI, mortiq; obnoxii, exnunc nos comitatur, imò inſequitur. Poſt hæc, novi hoſtes contra Nos cumulan-
ad Gal. 5. tur, nam & in *carne* noſtra, latens *concupiſcentia*, rebel-
v. 17. lionem molitur *contra ſpiritum*; & ad iteranda peccata, ſolicitare non deſinit; & mundus quidem, aut voluptatibus mulcet & allicit, aut fraudibus doliſq; circumvenit, aut terroribus oppugnat, & periculis. Jungitur ei Diabolus pertinaci invidia ſaluti noſtræ inſidians, &
1. Petr. 5. *tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Con-
v. 8. flictando tandem cum utroq; *currimus*, ut *bravium pre-*
1. Cor. 9.
v. 24. *hendamus*; ſed & in via ſæpè deficimus & currendo fatigamur.

gamur: Et quia via noſtra, periculorum eſt fecundiſſima, aut per negligentiam, aut per infirmitatem, hoſtis inſidias prægustamus. Sed provida Patris æterni in nos filios ſuos ſolicitudo, adversùs hæc pericula, quæ nobis toto vitæ tempore inſidiantur, multiplicia præparavit auxilia, variisq; naturæ noſtræ infirmitatibus, diverſis gratiæ ſuæ medetur remediis, nimirùm contra mortem, à Protoplaſto noſtro derivatam, novæ regenerationis lavacrum ordinavit; contra conflictus mundi & ſatanæ, Confirmationis Sacramento nos præmunivit; ut iam non noſtris viribus, ſed DEI virtute præliemur, deq; munere gratiæ illius victoriam teneamus. Ne tandem deficiamus in via, Dominus de menſa ſua, efficaci & ſalutari ſui Corporis & Sanguinis cibo, nos paſcit & nutrit: ut fortes, & contra omnes Sæculi adverſitates, nos reddat validos & infractos. Aſt quia ſicubi, tùm vel maximè imbecillitas noſtra, in mortis agone, graviſſimis tentationibus concutitur, primò enim, dolor ex corporis infirmitate proveniens, moleſtiam infert ægrotanti, deinde naturalis animæ ad corpus amor, quia nolumus illo ſpoliari, membra hominis, pavore & timore excruciat; his autem ſpiritualibus inſidijs, horribilis & fœdus Dæmonum aſpectus conjungitur, adverſariusq; noſter, *calcaneum* hominis *obſervat*, ultimis ejus inſidiatur, *Pſal. 55. v. 7.*
& in exitu animæ, tentationum ſuarum machinas exerit; ne tunc etiam malitia ipſius, adversùm nos prævaleat,

at, bonus Dominus, in periculoſos morbos incidentibus, mortisq; anxietatibus circumventis, alleviationis & conſolationis remedia, de gratiæ ſuæ munere, in Extremæ Unctionis Sacramento, providet ac procurat.

Advertant itaq; Parochi, quàm ſtrictam DEO rationem, ſunt reddituri, qui tam ſvaves, dulcesq; Sacramenti Extremæ Unctionis fructus, populo explanare negligunt, prætermittuntq; fideles ſeriò adhortari, ut tàm ſalubre animæ & corporis remedium, ſuſcipere non differant, donec ſenſibus fiant deſtituti.

Animadvertant itidem, ut eo potiſſimùm tempore, cœleſtem hanc medicinam, infirmis adhibeant, cùm eorum etiam pietati & religioni, qui curandi ſunt, magis profuturam intellexerint. Adeòq; poſt Viaticum, ægroto miniſtratum, ſubinde Extrema Unctio tribuatur, ne infirmus exponatur periculo, ſinè illa decedendi, aut ſaltem cum minori animæ fructu eam recipiendi.

Cùm autem peccati ratio, ex voluntate deſcendat, qui uſu rationis privati, voluntatum ſuarum Domini non ſunt, Sacramentum Unctionis percipere non debent, cùm actuale peccatum nullum habeant, Originale verò beneficio Baptiſmi ſit ſublatum. Unde Eccleſia non permittit illud adminiſtrare infantibus, perpetuò amentibus, & qui nunquàm habuerunt lucida intervalla.

Simili-

Similiter, denegari debet publicis peccatoribus, vel quasi ex professo peccantibus, uti sunt usurarii, concubinarii manifesti, meretrices, publicè rebelles Ecclesiæ, neq; quicunq; sciuntur esse in peccato mortali, vel affectu illius, nisi dederint signa pœnitentiæ. Permittitur phreneticis & furiosis, à cane rabido morsis, si nil aliud obsit, pueris jam doli capacibus, præsertim si aliud Sacramentum, uti Pœnitentiæ vel Sanctissimæ Eucharistiæ, percipere non possint.

Rituale Romanum censet magis, ungi debere quemlibet, qui catholicè vixit, etsi non petierit; quia Ecclesia quemlibet præsumit petere, cujus vita non contradixit; sed permittit semel tantùm, in eodem morbo, siquidem non modò pœnitentiæ, sed & totius vitæ Christianæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum est.

Obligationem etiam Parochorum tangit, quatenùs sæpiùs visitent infirmum, quantùm fieri poterit, inquirendo de periculis, tentationibus, inquietudinibus, scrupulis ægrotantis. *In fine hominis denudatio operum ejus,* *Eccl. 11. v. 29.* cui salutaria remedia, prout eis in Domino visum fuerit, providebunt.

Religiosi qui Clericis aut Laicis, Sacramentum Extremæ Unctionis vel Eucharistiæ ministrare, Matrimonia solennizare, non habitâ super his Parochialis Presbyteri licentiâ, aut qui Excommunicatos à Canone, præter *Clement. Relig. de Privilegiis Tit. 7.*

præterquam in Casibus à Jure expressis, vel per Privilegia Sedis Apostolicæ concessa eisdem, vel à Sententiis per Statuta Synodalia aut Provincialia promulgatis, seu ut verbis eorum utamur, à pœna & culpa absolvere, quenquam præsumpserint, Excommunicationis incurrunt Sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi, quos etiam Locorum Ordinarij, postquàm de hoc eis constiterit, Excommunicatos, faciant publicè denuntiari, donec de absolutione ipsorum, eis, fuerit facta fides, nullo, Religiosis eis, super hoc exemptionis vel alio Privilegio suffragante.

Seß. 25. de Reg. Ijs quoq; irrelevantibus, quæ in *Mari magno* expressa, & ad terminos Decretorum Sacrosancti Concilii Tridentini, per contrarias Constitutiones Pii IV. quæ incipit: *In principio Apostolorum.* Gregorii XIII. quæ incipit: *In tanta rerum.* Clementis VIII. quæ incipit: *Sanctissimus.* Et ejusdem Gregorii, quæ incipit: *Inscrutabili.* sunt redacta; quæ inquam omnia & singula, in eodem tenore & sensu, in quo & quomodo data sunt, accipientur & observabuntur, nil contra expressam Juris inhibitionem, in & contra Jura Parochialia, circa administrationem Sacramentorum, sepulturas, funeralia & alia faciendo vel involando in illa.

CAPUT

CAPUT XXI.
De Sacramento Ordinis.

PRovisis collatisq; Salvator noster, omni homini in gremium S. Matris Ecclesiæ cooptato, adversùs peccati originalis noxam, conflictus & bella hostium, contra famem inediamq; in via, insidias diaboli, nec non contra lapsum, ultimæq; resolutionis angustias, opportunissimis remediis; cupiens quoq; ut in Ecclesia taliter præmunita, unitas perduraret, confusio cederet, schismata exularent, Ordinem instituit, quo ad ministeria Ecclesiæ delecti, ex omni fidelium multitudine, certi homines, Sacramento huic destinarentur, deputarenturq; simulq; hâc notâ Plebs Christi manifestum haberet, quinam illi sint? apud quos certitudo doctrinæ, puraq; veritas inquirenda, à quibusvè vera Sacramenta essent expetenda. Nec quisquam ejusmodi Ordinem humana præsumptione censeat esse adinventum, Christus & Author & Institutor illius est, *Ipseq; dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi.* (Ephes. 4. v. 12.) Et de Ordine specificè dicens subdit: Ordinem ad retinendam in Ecclesia unitatem, *donec occurramus omnes in unitatem fidei, & ut jam non simus parvuli fluctuan-* (Ibidem. v. 13.)

v. 4. *fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris,* sed simus stabiles in fide, sciamusq; callidam adversantium doctrinam effugere.

Propterea noverint ad Sacros Ordines promovendi, *quòd non honor aut quæstus debet esse Ordinis vocatio, sed Christi charitas & salus animæ;* quapropter perpendant seriò, quonam titulo ad ejusmodi dignitatem capessendam moveantur? qua intentione ducuntur? esumnè an propter JESUM? *Qui enim non fideliter introivit neq; per Christum, faciet ad quod venit, ut mactet utiq; & disperdat.*

S. Petr. Bles. Epist. 23. ad Rich.

S. Bern. Dul. c. 17.

Advertant præterea, quòd Sacerdotis Officium, innocentiam, scientiam, aptitudinem, intentionis rectitudinem, Sanctitatem & exemplaritatem, vitæ constantiam, continentiam, cæterasq; virtutes sibi vendicet. Adeòq; habeant vitæ innocentiam, vel à Baptismo conservatam, vel Pœnitentiæ operibus reparatam, *ne qui placare iram DEI posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur.*

S. Greg. in Past. part. 1. c. 11.

Superbiam & omne vitium penitùs excludant & reijciant, qui enim in hoc ministerio, se ipsos arroganter inserunt, atq; intrudunt, eo hominum genere nihil infeliciùs ac miseriùs, nihil Ecclesiæ calamitosiùs esse potest.

Ut autem signa veræ vocationis, Ordinandi queant agnoscere, hæc præcipua esse meminerint. *Primum* signum

gnum est vocari ad statum Ecclesiasticum à proprio Episcopo, id certè Concilium Tridentinum insinuat, cùm dicit: *Quòd nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis.* Et in Evangelio legimus, quia *dixit Dominus Vineæ, Procuratori suo: voca Operarios. Secundum* vocationis signum est, Propensio ad Clericalem militiam, quam DEUS animo ingerit, vel ab ipsis teneris annis, vel procedente ætate, cui comitem addit, singularem existimationem hujus sublimis Statûs. *Tertium.* Intentio pura & recta, solam in eo statu, DEI gloriam & proximorum salutem quærendi; eo enim fine, Christus Dominus Sacerdotii sui dignitatem communicavit hominibus. *Quartum.* Amor constans officiorum, quæ Clericorum sunt propria, ubi præsertim amori, aptitudo ad illa exercenda, conjuncta est, quæ Spiritûs Ecclesiastici haud leve est indicium. *Quintum.* deniq; si virtutibus, quibus Virum Ecclesiasticum ornatum esse oportet, præditus sit, aut minimùm earum peculiari flagret desiderio, ejusmodi sunt: in DEUM pietas, erga proximum charitas, Divinæ gloriæ ardens zelus, animi constantia, honorum & divitiarum contemptus, literarum studium, castitas &c.

c. 16. Sess. 23. de Ref.

Math. 20. 8.

Cùm autem sanctas inspirationes, Divini Pneumatis ex favore conceperint, voluntatem suspensam teneant, *donec Prælatum interrogent, & ab eo quærant, num veram vocationem habeant? quam si judicio Superioris exploratam*

S. Bernar. Ser. Quomodo voluntas nostra Di-

vinæ ſubjiciatur *ploratam habuerint, nihil cunctentur, prompti, & ſinè mora vocanti obediant, & ſe DEI adjutorio committant. Dabit virtutem, qui contulit dignitatem.*

§. 3.

S. Leo Serm. 1. in die aſſumptionis ſuæ ad Pontif.

Quodſi ad Sacros minores Ordines accedere voluerint, teſtimonium quàm frequenter confiteri, Euchariſtiam ſumere, conſveverint; quòd ſobrij, & honeſtæ converſationis ſint, quòd de ijs nihil mali audiatur, quòd ſtudio tali, vel tali, in his, vel aliis ſcholis vacaverint, quòd nullis cenſuris ſunt irretiti, quòd ſcientiâ & literaturâ competenti inſtructi, cum teſtimonio legitimi ortûs, Nobis Officioq; Noſtro, aut Dominis Examinatoribus ſe præſentent, qui illos utrum legere, ſcribere ſciant, linguam latinam calleant, Fidei rudimenta memoriâ teneant, examinabunt, & teſtimonia exhibita trutinabunt. Quæ quidem teſtimonia ut vera & ſincera, ij ad quos pertinet, perhibeant, ſub comminatione Divini Judicij obteſtamur. Etſi, quod abſit, inhabiles aut ſcandaloſos commendaverint, præter graviſſimum falſi crimen, quod incurrunt, ſciant ſe tanquam impios in DEUM & Eccleſiam exemplariter puniendos.

Synodus Gneſnen: Węzykoviana.

Ordinati ad minores, priusquàm, ad Sacros majores Ordines promoveantur, ſtudeant perfectioni ac diſciplinæ, illi, quo ſunt initiandi, Ordini, competenti; addiſcant Cantum Gregorianum, Rubricas Breviarii, Cerimonias circa Ritum Sacrorum uſitatas. Sciant item reddere

dere rationem Sacramentorum, tàm in genere, quàm in ſpecie, ſint apti ac idonei ad docendum populum. Præterea qui ad Sacros Ordines promovendi ſunt, ante quemlibet ex ipſis, Exercitia Spiritualia per octo ſaltem dies abſolvant; in Archidiaconatibus quidem Plocenſi & Dobrzynenſi in Seminario Plocenſi, in Archidiaconatu verò Pultovienſi, in Seminario Pultovienſi, & de ijsdem abſolutis teſtimonium à Præfecto vel Superiore loci illius, ubi illa abſolverint, Nobis vel Officio Noſtro præſentent; aliàs ſciant, ſe indiſpenſabiliter ab Ordinibus reiiciendos, quod etiam ante primam tonſuram & minores Ordines ſemel faciendum præcipimus.

Omnes verò ad Statum Eccleſiaſticum aſpirantes, hortamur & obſecramus: ut in Seminarijs ſaltem per annum integrum maneant, ibiq; ſcientiam Sanctorum, doctrinam ſtatui ſuo requiſitam, & modum, miniſterium ſuum rectè adimplendi, addiſcant; certòq; ſibi perſvadeant, eos ſemper ad Beneficia obtinenda, priores, & cæteris anteferendos fore, qui in ijsdem Seminarijs ſcientiæ & pietatis ſpecimen præ cæteris dederint.

Præcipimus quoq; & hac Synodali ſanctione ſancimus, ut ad mentem SS. Concilij Tridentini qui ad Sacros Ordines promoveri volunt, publicè, uno ante Ordinationem menſe, die feſto ex ambone in Eccleſijs, tùm ubi nati ſunt, tùm ubi commorantur, juxta formam in Appendice *Numero V*. præſcriptam, denuntientur. *Seſſ. 24. c. 5. de Ref.*

Impedimenta ad Ordines, in quavis Ecclesia Parochiali, ad portam Sacristiæ, idiomate Polono, ut infra in Appendice, affixa habeantur. Testimonium verò peractarum denuntiationum, à Parochis sigillatum deferent; illudq; Examinatoribus præsentent; in qua de natalibus, ætate, vita & moribus Ordinandi, scilicet an sobrius, castus, modestus, honestæq; conversationis sit, & nihil de eo mali audiatur, exprimatur, in quo testimonio perhibendo, juxta veritatem, conscientiam suam, ut supra jam insinuavimus, Parochi noverint esse obligatam, & si de falso testimonio convicti fuerint, pœnâ carceris, & aliis arbitrariis punientur.

CAPUT XXII.

De Examinatoribus Synodalibus.

DEcreta Sacrosancti Concilii Tridentini, in viridi semper observantia habere, ea ad amussim observare, ac illis in omni circumstantia, obtemperare cupientes, cum ex præscripto ejusdem Concilii, Examinatores Synodales, non aliter, quàm sub actu celebrationis Synodi Diœcesanæ, proponere & statuere teneamur, eos tàm ad Ordinandorum, quàm ad Beneficia sive per concursum, sive per Præsentationem promovendorum, tam pro excipiendis Confessionibus, Prædicationeq; Verbi Divi-

Seß. 24. c. 18. de Ref.

Divini exponendorum, ritè recipiendum examen, decrevimus nominare, & nominamus: Perillustres Reverendissimos, Jllustres, Religiosos & Admodùm Reverendos, Adalbertum Mdzewski Archidiaconum & Officialem, Theodorum Machciński Custodem; Franciscum Kanigowski, Cantorem; Jacobum Cieszewski, Joannem Kraiewski, U. J. D. Casimirum Rokitnicki, Paulum Dominicum Dromler U. J. D. Curiæ Nostræ Auditorem, Plocenses: Petrum Henik, Balthasarem Nowowieyski, Stanislaum Potkański, Carolum Kreni, Uq; J. D. Joannem Bagiński Pultovienses Canonicos; Martinum Strachocki, Ecclesiæ Collegiatæ Plocensis Canonicum, Seminarii Pultoviensis Directorem; Jacobum Trochon Domûs Congregationis Missionis, & Seminarii Plocensis Præpositum; Stanislaum Szygowski Soc: JESU, Patrem Spiritualem, in Collegio Pultoviensi; Petrum Wierzeyski Soc: JESU Patrem Spiritualem Plocensem; Quibus ut in examinando, non aliquo affectu privato, aut præpostera quadam charitate, seu alio quovis humano respectu moveantur, preces seu instantias, favore examinandorum factas & subordinatas, reiiciant & contemnant, illud Sancti Bernardi in memoriam revocamus. *In hoc negotium non se ingerat rogans, consilio non prece agendum est.*

lib. 4. de Conf. c. 4.

CAPUT XXIII.

De Seminariis eorumque Directoribus.

INter præcipuas sollicitudinis Nostræ Pastoralis curas, illam esse censemus, ut sedulæ Clericorum institutioni, opportunè prospiciamus; nihil enim in Ecclesia DEI, magis valet, ac est fortiùs, ad piè & Sanctè instituendos aut depravandos fidelium mores, quàm virtutes & vitia eorum, qui aliquando tanquàm plantæ novellæ in Vineam Domini transplantandæ, svaves in ædificationem, sive acerbos in ruinam multorum, producunt fructus. Nullum autem ad exercendos Clericos, in doctrina, ad curam animarum necessaria, pietateq; & religione informandos, præsentius ac efficacius remedium inveniri potest eo, quàm quod sapientissimi totius Christianitatis, & Spiritu DEI repleti homines, in Sacro Oecumenico Concilio Tridentino, sapientissimè statuerunt, ut Seminaria fundentur; ubi verò jam fundata sunt, sed congruis redditibus ad alumnorum, magistrorumq; sustentationem, destituta reperiuntur, opportunè provideatur.

Cùm itaq; non multis abhinc retro annis, Seminarium sit fundatum, penes Ecclesiam Nostram Cathedralem, sub directione RR. Presbyterorum Congregationis Missionis, à piè defuncto Antecessore, & Patruo Nostro

stro desideratissimo, Jllustrissimo olim LUDOVICO ZAŁUSKI, qui unà, cum Capitulo Cathedrali dotem pro Clericis; pro Præfecto verò & Magistris, fundum piè defunctus Jllustrissimus Severinus Szczuka, Suffraganeus Culmensis inscripsit & assignavit; numerus tamen Alumnorum alendorum, non sit præfixus; trutinatis igitur pluries, per Nos proventibus & redditibus ejusdem Seminarij, Statuimus: ut Alumni ex Fundatione alantur ad minimum continuò duodecim. In Seminario verò Pultoviensi, quod Fundatorem suum agnoscit Jllustrissimum olim Albertum Baranowski, Episcopum Plocensem, cum iniquitate temporum, ita ejus Seminarii rationes, in angustum contractas invenerimus, ut vix quatuor vel quinquè Seminaristæ, sustineri potuerint; Innovationem ejusdem Erectionis, cum auctione dotis, ad numerum Clericorum quindecim, sub directione perpetua Presbyterorum Sæcularium, perfecimus; & ut taliter ordinatæ, erectæ, & innovatæ maneant, vigeantq; in perpetuum, ac pios strenuos ac diligentes Operarios, in agrum Dominicum proferant, Authoritate præsentis Synodi, eadem Seminaria approbamus & confirmamus.

Quia verò Fundationis Seminariorum, primus ac singularis est finis, ut subjecta idonea præstò habeantur, Ecclesiis Diœcesanis servitura, præcipimus: ut ad Seminaria, ij tantùm admittantur, qui jam in literis per alias

alias scholas fuerint versati, morumq; imprimis honestate, spem futuræ frugis, certissimam afferant, & à Professoribus suis, tum Parochis testimonium probitatis vitæ, tum scientiæ producant.

Professores, ut Controversias Fidei cum hæreticis, casus Conscientiæ, rationem prædicandi Verbi Divini, atq; administrandi Sacramenta, Cantum choralem, cerimoniasq; Ecclesiasticas, Rubrum in Seminariis doceant, paternè adhortamur.

Mores præterea, profectum, motusq; animi & corporis diligenter considerent Clericorum, probentq; studio cujus Spiritûs? an elatæ mentis sive humilis sint? cujus virtutis & scientiæ? in quibusnam magis vocationis dignitas zelusq, animarum excellat? ut cùm eos ad laborandum in Vineam Domini mittere contigerit, sciamus, cui rem Divinam committere valeamus, ne sinistra informatione seducti, serò oleum & operam in ijsdem perdidisse doleamus.

Quia verò educati, ac enutriti in Seminariis, reperiri solent, qui beneficii immemores Religiones ingredi, vel à Diœcesi propria in aliam transmigrare consveverunt, ideo quibusvis Regularibus districtè & sub pœna excommunicationis interdicimus, ne ipsi quempiam ex Seminaristis, uti ære alieno onustum & obligatum, ad suã regulam amplectendam, verbo, Consilio, aut alio quovis modo inducere, avocare aut allicere; nullus verò

Semina-

Seminaristarum extra Diœcesim, sinè speciali nostra facultate, à Nobis duntaxat, sive Successoribus Nostris largienda, proficisci & abire audeat & præsumat. Si verò quispiam ex Seminaristis, inconsultis Nobis & sinè Nostra licentia in scriptis obtenta, manuq; Nostra subscripta, Diœcesim reliquerit, aut in aliena Diœcesi, contra tenorem concessionis, & mentem Nostram manserit, & sciatur ubi sit? eo casu, vigore laudi communis, Statutorumq; Provincialium, etiam in aliena Diœcesi, ad instantiam Instigatoris, vel Provisoris Seminarij, ut ad terminum sibi in Citatione præfigendum redeat, citari, contumacem verò, & pro termino non comparentem, pœnâ suspensionis, ab exercitio Ordinum affici; aliàs si post suspensionem ejusmodi, intra dies viginti non redierit, Censuris Excommunicationis ipsum innodari, ac tunc demûm, ad taxam damnorum & expensarum, pro ejus Persona in Seminario factarum, procedi constituimus & mandamus. Similem processum contra eos, qui ubi sint? ignoratur, per edictum duntaxat, si profugus ex Seminario Plocensi fuerit, valvis Ecclesiæ Cathedralis, si ex Seminario Pultoviensi, valvis Collegiatæ affigendum observari, literasq; excommunicationis per suos gradus publicari, ac in vicinas Diœceses transmitti volumus ac demandamus.

Provisores autē utriusq; Seminarii, qui juxta Tridentini dispositionem à Nobis dependere debent, sciant de

omnibus

omnibus & singulis perceptis & expensis, administratione, secundùm mentem & intentionem Fundatorum facta, & adimpleta, Nobis, singulis annis, fidelem rationem se reddituros.

CAPUT XXIV.

De Matrimonio.

MAtrimonium in prima mundi constitutione, ad Officium tantùm destinatum, Proto-parentis Adæ, verbo Prophetico divulgatum, tribus constitit temporibus; & primo quidem statu innocentiæ perdurante, quando liberorum procreandorum officium, sinê omni concupiscentia & inordinato appetitu poterat exerceri, solaq; propagatione sobolis adimpleri. Secundo, cùm homo per peccatum saucius exstitit, & tunc quod sanis fuerat in officium, accessit infirmis in remedium, & utriusq; sexûs infirmitas, propendens in ruinam turpitudinis, nuptiarum honestate extincta est. Tertium Matrimonii tempus invexit Christus, qui veram illius conditionem, repudiis violatam, & secundùm quandam, istius vetusti temporis dispensationem, per multiplices Patrum nuptias, ultra debitas metas dilatatam, ex sui primæva institutione restituit, & ad unius tantùm viri cum una muliere indissolubilem con- junctio-

Genes. 2. v. 24.

junctionem redegit, Sacramenti Sanctitatem addens nuptiis & gratiam,qua operante, justa Conjugum commercia, jam non modò excusantur à peccato, sed pietatis laudem obtinent & virtutis, æternæq; vitæ meritum accipiunt.

Est ergo Matrimonium in præsenti tempore verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum, cum Ecclesia genuinum connubii Symbolum; ille enim Patrem suum reliquit, & venit ad terras, ad mentem quodammodò Scripturæ dicentis: *Dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* Con. Tri Sess. 24. c. 1. de Sac Matr. Mat. 19.

Cavere itaq; debent Parochi, ne circa administrationem hujus Sacramenti, vel in trinæ denuntiationis omissione, vel intra gradus prohibitos copulatione, vel raptæ cum raptore, etiam mutuo consensu accedente (nisi priùs rapta pristinæ libertati restituatur) conjunctione, vel in hominibus alterius Parochiæ, aut etiam vagis & ignotis ad id admittendis, aut temporibus ab Ecclesia prohibitis, nuptiarum solennitatibus adhibendis, aut aliquo alio ab institutis Majorum, Sacrisq, Canonibus aut Tridentini Concilii Decretis, alieno modo, animadversione dignum committant; sed potiùs in occurrentibus aliquibus difficultatibus, aut dubiis casibus, Officia Nostra consulant.

Admoneri debent ij, qui Matrimonium inire volunt, quò ex eo Sacramento uberioris gratiæ fructum consequantur,

quantur, ut se ad id, per peccatorum Confessionem & Sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem saltem, triduò ante Matrimonii solennizationem, præparent.

Matrimonium contrahere volentes non desponsentur, nisi præmisso examine, an rudimenta Fidei calleant? nisi respectivè ad personas, examen hujusmodi necessarium non videretur.

Ut autem denuntiationes debito ordine fiant, necesse est fieri illas, continuis tribus Festis diebus, qui tamen dies festi continui, non illi censendi sunt, qui se proximè sequuntur, quales sunt Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, sed ij, qui duorum saltem dierum spatio, ab invicem dividuntur; Continui verò ideò censendi sunt, quia denuntiationes sequentibus ex intervallo Festis diebus, quoquomodo intermittere, inchoatasq; denuntiationes interrumpere, nequaquàm licet cuipiam.

Sanch. l. 3. de Matr. disp. 6. n. 8.

Quando Matrimonium contrahitur inter Virum, qui sit de una Parochia, & Mulierem de alia, sufficit, si contrahatur coram Parocho in propria mulieris Parochia, vel coram Parocho in Parochia Viri; sic Congregatio censuit, quod & ipse Gregorius XIII. confirmavit, *vide Navarrum c. 25. n.* 144. Denuntiationes tam in Parochia Sponsi, quàm Sponsæ, omninò tamen præmittendæ sunt, nisi à Nobis desuper dispensatum esset, & cautos esse volumus Parochos, ut testimonium factæ

trinæ Denuntiationis non dent, priusquàm tertia fiat ejusmodi Denuntiatio.

Desponsati de futuro, non permittantur cohabitare secum sub uno tecto, quovis sub prætextu, vel causâ disponendæ rei familiaris. Et quantùm fieri potest, absq; dilationibus solennizent matrimonium, ad evitanda pericula incontinentiæ & scandala, quæ ex protelationibus ejusmodi sæpiùs contingunt.

Et quia non rarò Domini Sæculares, subditos suos invitos ad contrahendum Matrimonium, cogere cum hac vel illa persona consveverunt; hinc ad pleniorem Parochorum notitiam, ne talia Matrimonia benedicant, sanctionem Concilii Tridentini, contra impedientes libertatem Matrimonii apponimus: *Ita plerumq; temporalium Dominorum ac Magistratuum mentis oculos, terreni affectus atq; cupiditates excæcant, ut Viros & mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maximè divites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum ijs, invitos, Matrimonium contrahere, quos ipsi Domini vel Magistratus illis præscripserint. Quare cùm maximè nefarium sit, Matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias nasci, à quibus Jura expectantur, præcipit Sancta Synodus, cujuscunq; gradûs, dignitatis, vel conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo, directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunq; alios cogant, quominùs liberè matrimonium contrahant.* *Sess. 24. de Ref. Matr. c. 9.*

Grave ac immane facinus, quo DEUS offenditur, frequenter in hac Diœcesi committi experimur, in tenellis infantibus, quos matres ac nutrices secum in lecto, nulla cautione collocatos, sæpiùs opprimunt & suffocant. Quæ nefaria immanitas ut coerceatur, interdicimus, ne ulla mulier infantem lactentem, secum unà in eodem lecto, noctu unquàm teneant, si secùs fecerit, etiamsi suffocatio infantis non sequatur, publicâ pœnitiâ per Parochos delinquentem, plectendam decernimus: & ut talis per totam Quadragesimam, Diebus Dominicis & Festis, cruce extensâ in Ecclesia jaceat, demandamus. Si verò suffocatio actu subsecuta sit, Volumus, ut ultra pœnitentiam superiùs comminatam, tales, feriâ quintâ in Cœna Domini se sistant, coram Nobis, vel Deputato Nostro, ad recipiendam publicam absolutionem; in foro tamen conscientiæ, licitum erit Decanis locorum, tales delinquentes absolvere.

Mulieres fornicariæ non introducantur post partum, in Ecclesiam, ne crimen earum approbetur.

Plurimas experti sumus sæpiùs molestias, à Dominis & Heredibus Bonorum, ubi subditi illorum derelictis quandoq; Conjugibus divagantur, creduntq; si per aliquot annos ad cohabitationem non redierint, esse arbitrii Nostri, illis, ad alia vota convolandi, facultatem concedere; ad reprimendas igitur similes instantias, Officiis Nostris, ob oculos ponimus: quando quis Conjugem habuit,

buit, & nunc dubitat, an obierit? quod Lucius III. Cap. *Dominus*, de secundis nuptiis ait: *Id vobis respondemus, ut nullus amodò ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migraverit Conjunx ejus.* Et Clemens III. Cap. *In præsentia.* de sponsal. & Matr. ita statuit: *In præsentia quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus? quæ viros suos causâ captivitatis vel peregrinationis absentes, ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc solicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari: Respondemus, quòd quantocunq; annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare, nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.*

Cæterùm cavere debent Parochi, ne aliquos extra Ecclesiam, in privatis ædibus, sinè licentia Nostra, nevè solemniter in tempore ab Ecclesia prohibito, à prima videlicet Dominica Adventûs ad Epiphaniam Domini, & à feria quarta Cinerum, usq; ad Octavam Paschatis, inclusivè conjungant.

Ut autem non tantùm Parochi, sed & Contrahentes ipsi sciant, num aliquod non subsit inter eos impedimentum? Impedimenta Matrimonii in Appendice vernaculâ linguâ conscripta, sub *Numero VI.* adijcimus,

& quotannis, binis vicibus, nimirùm Festo trium Regum, & Dominicâ in Albis, populo ad Divina audienda congregato, per Parochos locorum, publicari ac promulgari, hac Synodali Nostra Constitutione, sub pœnis rigorosissimis præcipimus.

Deniq; peractis omnibus ijs, quæ de ritu & administratione Sacramenti hujus, fusè in libro Agendorum tractantur, notet diligenter Parochus: Nomina & Cognomina tam Conjugum, quàm testium, diemq; & locum contracti Matrimonii in destinato ad id libro, in hunc modum: *Anno Die Mense &c. Ego N. Parochus vel Vicarius Ecclesiæ Parochialis N. Matrimonium inter N. & N. contractum, confirmavi in eadem Ecclesia, vel alibi. Præsentibus N. & N. & aliis multis de populo, præmissis solitis Denuntiationibus.*

CAPUT XXV.

De Sacrosanctis Ecclesiis: Cathedrali Plocensi, Collegiatis, & Parochialibus, deq; immunitate & decore earundem.

EXpeditis, latisq; per præsentem Synodum, tam in ratione fidei, quàm respectu Prædicationis Verbi Divini, Sacramentorumq; omnium administrationis,

Decretis ac Constitutionibus, naturalem ordinem id exigere judicamus, ut ad Sacrosanctas Ecclesias, Nobis divinitùs concreditas, Paternæ prospectionis, ac Pastoralis solicitudinis oculos convertamus.

Primùm itaq; in Cathedralem, Sponsam Nostram Charissimam, curæ ac vigilantiæ Nostræ conijcientes intuitum, hanc, uti in Anno Christi nongentesimo sexagesimo sexto fundatam, ac idcircò antiquitate clarissimam; ex quo verò, Primatiale Caput tanquàm nativum sui Cæli Sidus, Prælatorum & Canonicorum suorum numerat in consortio, dignitate ac prærogativa fulgentissimam; cæteris tandem dotibus, qualitatibus, primis in Regno Diœcesibus non imparem, uti suis honoribus clarescere exoptamus, ita ad ejus majorem cultum ac decorem, ut eam dignissimis semper fulciat subjectis ac muniat, Omnipotentem DEUM exoramus. Concordata autem inter Nos, ac hanc Cathedralem Nostram, à S. Sede Apostolica approbata, ad calcem hujus Synodi ad futuram rei memoriam adjecimus. *Dlugossius.*

Collegiatam Pultoviensem, tam ex suis Prælatis & Canonicis, quàm & ex interno externoq; decore, continuarum devotionum, speciali ordine verè Insignem; pari quoq; affectu complectimur, & ut in illa *fructus honoris & honestatis* suum quotidiè sumant incrementum, cordicitùs exoptamus. *Eccli. 24. 23.*

Ad eum ferè honorem accedere, percupimus Ecclesiam

Colle-

Collegiatam, in Civitate Plocensi constitutam, quæ siquidem juxta conventiones, contractus, variaq; scripta & gesta tam Cathedralium, quàm & ipsius Prælatorum & Canonicorum, cum Patribus Societatis JESU Collegij Plocensis facta & formata, Fabricam suam Titulo S. Michaëlis insignitam, ob vetustatem summoperè ruinosam, mediante ad id Beneplacito Apostolico, sub Datum Romæ *die* 7. *Mensis Aprilis* 1731. *Anno*, impetrato, dicto Collegio Plocensi Societatis JESU cessit & donavit, ejus cessionem uti jam numeris omnibus absolutam, firmum, stabile, ac perpetuum, irrevocabileq; robur obtinere debere declaramus. Et quoniam eadem Collegiata, de loco suo antiquo, Ecclesiâ scilicet S. Michaëlis olim nuncupatâ, est ad Ecclesiam Archipresbyteralem S. Bartholomæi, ibidem in Płock sitam & jacentem, mota & translata, primævisq; suis Fundationibus, dote, Privilegiis ac munimentis ijsdem gaudet ac fruitur, quibus ante translationem fruebatur, innovationem tamen antiquæ Fundationis illius, cum auctione Canonicorum, adjectis adijciendis, mediante ad id seorsivo instrumento, confici curavimus, quam & præsenti Constitutione Synodali approbamus.

Con. Tri. Sess. 24. c. 12. de Reform.

Quia verò eo fine ad Cathedrales & Collegiatas Ecclesias, Collegia & Capitula sunt constituta, ut omnis pietas atq; disciplina Ecclesiastica crescat & augeatur, omnes Prælatos & Canonicos, signanter Ecclesiæ Nostræ Cathe-

Cathedralis in Domino exhortamur, ut qui primi post Episcopum esse judicantur, adeòq; cæteris dignitate, eminentiâ, gradu, honore antecellunt, etiam pietate, virtute, exemplaritate, ijsdem ducatum præbeant, suæq; prærogativæ, vitâ moribusq; respondeant, scientes: quòd ad motum primi mobilis, reliqua illud consequentia regulantur.

Si quis ex Prælatorum & Canonicorum numero in aliquem, quod DEUS avertat, excessum lapsus fuerit, eum ut Capitulariter Confratres admoneant, obligamus, & in hoc passu V. Capitulo correctionem, de Jure communi & Constitutionum Provincialium sanctione, committimus; lex enim Personas non respicit, sed facta Personarum.

Anniversaria & Officia debita pro Fundatoribus, Episcopis & Confratribus defunctis, juxta consvetudines & obligationes Capitulares, cum accurata mentis dispositione, devotè ac sinè distractione persolvant, *quâ enim mensurâ mensi fuerimus, eâdem remetietur nobis*, *Matt. 7. v. 2.* & ab alijs expecta, alijs, quod feceris.

Quia etiam Canonici sunt Divini cultûs inspectores à Canone, Regula scilicet ita nuncupati, non solùm Ipsi ad normam SS. Canonum vivere, verùm etiam alios ad vitam sanctè & exemplariter transigendam provocare & adhortari obligantur; adeòq, si aliquid perperam vel contra Constitutiones Canonicas & præsentes

 Synodales

Synodales fieri adverterint, quàm primùm ad Nos, Judiciumq; Nostrum deferant, nam *error, cui non resistitur, approbatur*, & meliùs est initijs obviare, quàm inveterata mala extirpare.

Præbendæ & Dignitates, quæ annexa officia habent, curent eorum Possessores, ut illis quoad fieri potest, satisfiat, ne legi obnoxij sint, vituperetur q; in illis ministerium, quod sustinent.

Quia tandem Canonici Episcopo, in rebus Ecclesiæ atq; difficultatibus occurrentibus, tenentur consilio subvenire, non possunt autem alij fideliùs meliùsq; consulere, quàm qui ejusdem Corporis membra, domesticiq; sunt Ecclesiæ & Alumni; idcircò eosdem DD. Prælatos & Canonicos Cathedrales, ac etiam Insignis Collegiatæ Pultoviensis, uti propè Residentiam Nostram habitantes, quatenùs sub tempus Residentiæ Nostræ, in utroq; loco, Nobis præsentes adsint, & assistant, obligamus, & cùm contigerit eos in causis vertentibus coram Nobis sive Officijs Nostris, in Commissarios pro recipiendis testium depositionibus assignari, ut ad tale munus pronos se offerant, & cum omni alacritate animi, commissa sibi expediant, seriò requirimus & obligamus.

CAPUT

CAPUT XXVI.

De Capellis, Altaribus & Oratorijs privatis, Sacraq; Supellectili.

COmpertum est Nobis, qualiter nonnulli Sacerdotes Sæculares & Regulares, salutis suæ immemores, operas suas Sæcularibus Personis, cum summo Statûs & Ordinis sui dedecore addicere, & quod turpius ac periculosius est, etiam fœminis, titulo Capellani famulari, in privatis Sacellis, ac interdum etiam in privatis ædibus, Sacrum Missæ Sacrificium peragere, sineq; scitu & consensu Nostro, indecenter per Diœcesim nostram evagari, audent ac præsumunt; Quibus tam enormiter in SS. Canones delinquentibus, licentiam auferre, & scandalis obviare cupientes, Decreta SS. Concilij Tridentini præcipuè *Sess.* 22. *de observandis in Sacrificio Missæ*, observata habere volentes; prohibemus Authoritate præsentis Synodi, ne in privatis quarumvis personarum (etiam in dignitate constitutarum) ædibus & residentijs, in portatilibus ullatenùs celebrare, in Capellis verò seu Oratorijs nonnisi obtentâ à Nobis licentiâ, audeant; Declarantes Nos contra talia præsumentes, ad pœnam Suspensionis, & alias arbitrarias processuros. Inhibentes præterea tam Sæcularibus, quàm Regularibus, ne quis deinceps, etiam prætextu Privilegio-

rum & Missionum, ejusmodi vagæ administrationis Sacramentorum, in domibus & Sacellis privatis se immisceat, nisi priùs facultates sibi concessas in ipsis Originalibus, Nobis recognoscendas exhibuerit.

Quoties autem acciderit, sive Sæculares sive Regulares Presbyteros, ad Capellanias vocari, non priùs ad easdem se conferant, nisi prævia à Nobis, per deputandos Commissarios revisione, quòd Capella sive Oratorium in eo loco, ubi Capellanias suscepturi sunt, extructum & ornatum, ac ab usibus quibusvis profanis sit separatum, habeatq; omnia ad celebrandum Missæ Sacrificium necessaria. Quam quidem revisionem, ante omnia, peractam Nobis præsentare, & licentiam suscipiendi ejusmodi Capellanias petere tenebuntur; alioquin sin secus fecerint, ipsos, pœnam suspensionis ipso facto incursuros declaramus.

Postquàm autem præmissa fecerint, & licentiam obtinuerint, advertant diligenter, clausulas in Indulto appositas, ut nunquàm ampliùs, quàm una Missa, sola de die, in Capella sive Oratorio privato celebretur; ut absq; præsentia Personarum, quarum contemplatione, gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diœcesanas, aut etiam per Decreta Sacræ Congregationis Concilij, celebrari prohibetur, nunquàm Divina absolvantur.

Capella-

Capellani in Aulis Magnatum, cæterisq; locis, se exemplares & morigeros exhibeant, à lusibus chartarum, alearum, compotationibus & commessationibus abstineant; post cœnas tempestivè se ad quietem recipiant; cunctis verò, verbo & opere præluceant, sub obtestatione Divini Judicij præcipimus; Superioresq; Religionum, quatenùs ejusmodi è sua Religione Capellanos, ad faciendas Recollectiones spirituales, ad claustra quotannis convocent, & aliàs ipsimet Capellani, easdem Recollectiones non negligant, volumus & mandamus.

Oratoria seu Capellas campestres, quæ reparatione indigent, ut Domini & Heredes locorum, suis sumptibus reparent, admonemus; quòdsi id non fecerint, à Parocho specialiter moneantur; quæ quidem monitio, si fortè ab eis contempta fuerit, ejusmodi negligentiam, Parochi intra mensem à die monitionis factæ, Nobis vel Officio Nostro significare teneantur, ut sic elapso tempore, quod reparationi præfigetur, jussu & mandato Nostro demoliantur, quæ autem integra hactenùs permanent, ita ostiolo obserentur, ut illic, neq; vagi homines pernoctare, neq; animalia valeant accedere.

Cùm autem ejusmodi Capellarum usus, Parochialibus Ecclesijs cernatur esse obnoxius, idcircò Constitutionem Synodi W,żykovianæ Anni 1628. de hujusmodi novis Capellis, sinè consensu Ordinarij, non ædificandis, hoc loco reassumimus, & eam, quàm exactissimè à DD. Parochis observari præcipimus. Quan-

Quantùm autem ad Altaria pertinet, in eis Imagines non nisi Sanctorum, easq; decentes, & quæ ore, affectu, habituq; corporis, religionis speciem præseferant, & ad pietatem animos intuentium alliciant, collocari præcipimus; & ut eadem Altaria sint munda, operiantur umbellis desuper, seu telâ coloratâ ad arcendum pulverem, insuper gradus firmos, declives, & pro capacitate loci spatiosos habeant, injungimus.

Synod. Wężyk. Gnez. Anno 1628.

Præcipimus item, ne Altaria, ultra necessitatem in Ecclesijs construantur, sed si quis Benefactorum, pro tali ædificatione quidpiam conferre voluerit, ut id pro conservatione Ecclesiæ, vel alia necessitate, intùs & extrà magis urgenti impendat, ab eo expetatur.

Cùm autem vigore SS. Canonum, pro conficienda sacra supellectili, fructus & proventus Beneficiorum sequestrare valeamus; idcircò ne ad exercitium hujusmodi facultatis condescendere compellamur, Ecclesiarum Rectores, ut suis Ecclesijs de supellectili Sacra, omni possibili modo provideant, præmonemus.

Monacel Form. leg. pract. tit. 15. alleg. Decret. S. Cong. Conc. 18. Maj 1590.

Universa autem hæc tam Sacra, quàm profana supellex, in vestiarijs, sive armarijs benè clausis & mundis, sacrarioq; non obscuro, nec humido, quàm ordinatissimè disposita servetur; semelq; ad minùs in anno, omnes sacræ vestes siccandæ, in solem exponantur; lineæ tamen sæpè, sed corporalia & purificatoria nonnisi à Sacerdotibus, vel saltem Diaconis, intraq; Sacrarium, ac in destinatis ad hoc ipsum vasis laventur.

Habeat

Habeat quoq; unusquisq; Parochus, Inventarium totius supellectilis suæ Ecclesiæ, mundè ac distinctim, per titulos descriptum, sigillo Decanali atq; Vitricorum, nec non aliorum probatorum hominum signatum ac communitum, libro ad id consultò comparando, insertum; cujus Copiam similem unam Decano suo, ad Archivum Decanale tradat, & alteram similem Copiam, ad Acta Consistorij Generalis transmittat. *Synod. Wężyk. Anno. 1628. eod. tit.*

Stolæ circa collum linteolis obducantur, nec eæ, uti & casulæ nimis ad collum adstringi permittantur, ne per id sudore deturpentur.

Siquis Sacerdotum lacera, aut nimiùm detrita, aut non talari veste indutus, aut absq; colari, vel cum eodem, sed notabiliter denigrato, si tandem cum calceis immundis celebrare voluerit, eidem apparatus nullatenus extradatur, sub gravi in contrafacientes animadversione.

Communicationem Apparatuum unius Ecclesiæ ad aliam, celebrationemq; in calice non inaurato, vel in cuppa sua ab intra læso, nec non usum patenæ, saltem in medio non inauratæ, interdicimus.

CAPUT XXVII.

De Pluralitate Beneficiorum.

Beneficiorum pluralitas, quantùmvis legibus Canonicis

nicis sit attemperata, in tantum tamen est in nonnullorum Ecclesiasticorum cordibus radicata, ut nec terminis quidem Juris valeat extirpari; cùm enim de Jure communi Canonico, nulli liceat bina Beneficia, secum incompatibilia possidere, quorundam execrabilis ambitio, in trinorum etiam adeptione, non vult consistere, sed numerosiora quærendo, importuna prece extorquet potiùs Beneficia, quàm obtinet, avareq; haurit interitum ac perditionem animæ, absolutè non considerans.
Mat. 16. v. 26. Quòd nihil *prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Quapropter ut Justitia Distributiva non lædatur, Præceptum verò Ecclesiæ imò Divinum observetur:

Noverint omnes Beneficiati, quòd grande sit crimen, pluralitas; præterquàm enim, quòd sit malorum omnium radix & origo, specialiter ac nominatim charitatem, quæ debet esse inter Fideles, extinguit ac minuit; dum Sacerdotes quantùmvis dignos, portione Christi, ac pane meritorum privat & destituit, facitq; famelicos; insuper materiam dissolutionis administrat, detrimentum ac damna varia Ecclesiæ generat, devotionis & curæ animarum fervorem extinguit, fructus ac redditus Spirituales, dum taliter qualiter expenduntur, profanat ac violat, Ecclesiasticum Ordinem antevertit, Divinorumq; absolvendorum necessitatem, per absentiam eorum, qui per plura Beneficia cursitant, penitùs tollit ac destruit. Cùm

Cùm autem talem noxam, parturiat damnata Beneficiorum pluralitas, ideò diſpenſationes ſuper incompatibilitate, ſi quas ſe habere quispiam prætendit,& gloriatur; ut intra dies quadraginta à publicatione præſentis Decreti producat ac remonſtret, præcipimus, aliàs ad pœnam reſtitutionis dupli, cæterasq; arbitrarias procedemus.

Quicunq; autem in poſterum pro diſpenſatione Apoſtolica, ſuper pluralitate Beneficiorum, ad Sedem Apoſtolicam ſupplicare voluerint, literas patentes ſeu Teſtimoniales, ſuper veritate narrativæ à Nobis ipſis, & non aliter accipere, executionem diſpenſationum à Nobis, & non alio quopiam, petere tenebuntur.

CAPUT XXVIII.

De Eccleſiis deſolatis, illarumq; Reſtauratione ac Proviſione.

EX Viſitationibus Generalibus per Diœceſim peractis, compertum habemus, aliquas Eccleſias Parochiales, ſignanter in Archidiaconatu Dobrzynenſi, ita deſolatas extare,ut legitimis, à multo tempore orbatæ Rectoribus, in ſuis tantùm ſepultæ ruinis conſpiciantur. Quis itaq; non cuperet ex animo, ut quantocyùs in priſtinum reducantur ſtatum, & redditibus

ſuis reſtituantur? Sed cùm hæc, præſertim moderno rerum ſtatu, ob interitum proventuum, & frigeſcentem Collatorum charitatem, difficile præſtari poſſe exiſtimentur, propterea Majeſtas Divina, in qua unica ſpes ſalutis, & ſingulare ad eam refugium, ardentibus votis exoranda, ut hunc fervorem Sancti Spiritûs, in cordibus Patronorum & Parochianorum ejusmodi Eccleſiarum, ſupervenientе ſua gratia infundat; quatenùs Majorum ſuorum exemplo, quod horum pietas ad Cultum Divinum & ſalutis humanæ miniſterium, & ad animarum ſuarum ſuffragium inſtituit, illi per incuriam ſuam in abominationem deſolationis converti non permittant, atq; has deſertas Domos DEI, Domos Orationum, formidantes juſtiſſimam DEI indignationem, cadere non ſinant. Quod in vicinioribus Eccleſiis Verbi DEI Prædicatores, Sæculares & Regulares, in ſuis concionibus, ſeriò illis ad memoriam revocare non omittant. Interim autem ne Parochiani, Eccleſiarum ſic deſolatarum, ſinè ullo maneant Paſtore, debitisq; fraudentur obſequijs, inhærendo aperto textui SS. Concilii Tridentini, ac Conſtitutionum Provincialium, easdem Eccleſias, aliis Parochialibus vicinioribus, incorporandas & inviſcerandas conſtituimus; hujusmodi incorporationem & unionem, vocatis, qui de Jure fuerint vocandi, coram Nobis fieri volumus, & nunc diſpoſitivè præcipimus.

Trid. Seſſ. 21. c. 5. de Reform.

CAPUT

CAPUT XXIX.
De Hoſpitalibus.

CUm ex vi & præſcripto Sacrorum Canonum *Patres Pauperum* appellamur, jure merito in eorum negotia introſpicere obligamur, *Gloria* enim *Epiſcopi eſt inopiis pauperum providere.* Ne ergo Nobis intereſſe eorum relinquentibus, Omnipotens qui *novit cauſam Pauperum*, faciat Dominus Judicium inopis, pauca de iisdem ordinamus. *D.68. c. quoniam* *S. Hier. Epiſt.ad Nep.* *Prov.29. v. 7.*

Noſocomia & loca, quæ pietas Chriſtiana, illorum uſui deſtinavit, omnia ſpeciali inſpectioni, curæ, tutelæ ac Patrocinio DD. Parochorum, ſeu aliàs ſuorum Præpoſitorum, & eorum, qui illa gubernant, provident ac ſuſtentant, commendamus; & cùm magnus cenſus ſit pauperum, Fidelium charitas, *& diligens atq; ordinata Hoſpitalium adminiſtratio*, ut non ſolùm ipſi, ex frugalitate atq; parſimonia, neceſſitatibus illorum ſubveniant, verùm etiam alios, quibus cura Xenodochii incumbit, ad explendum ſuum officium ſedulò inducant, obligamus; *Ignominia enim Sacerdotis eſt, propriis ſtudere divitiis, ratione pauperum prorsùs deſerta.* *Conſt. Synod. Gembic. Tit.eod.* *d.12.qu. 2.c. gloria.*

Quapropter, Fideles etiam CHRISTI ſedulò admoneant, ut præter eleemoſynas quotidianas quas, ſedentibus ad januam Eccleſiæ mendicis liberaliter diſtribuunt, *Conſt. Synod. Gembic.*

buunt, ſpecialiter & ſeorſivè viſcera charitatis adaperiant; Carbonas in rem Hoſpitalium in Templis collocatas ſuâ munificentiâ adimpleant, cæterisq; indigentium neceſſitatibus, benignè provideant.

Si quis virorum deprehendatur inhoneſtus, facinoroſus, ebrioſus, nequaquàm ad eorum conſortium admittatur, admiſſus & detectus incunctanter expellatur, quod & de fœminis cenſendum eſt.

Ut autem in Hoſpitalibus, non modò ſingularis charitas, ſed etiam totius honeſtatis leges, accuratiſſimè obſerventur, caveant omnes Parochi, & dictorum noſocomiorum, quovis modo Rectores, ne in iis ſinant promiſcuè, in eodem cubiculo, mares & fœminas dormire, habitare aut quieſcere; quamobrem in quolibet Hoſpitali, cubicula atq; hypocauſta Virorum, diſtincta à fœminis exigimus ac ordinamus.

A gremio pauperum Xenodochialium mendici, qui vel operâ ſuâ victum & ſuſtentationem ſibi poſſunt quærere, vel aliàs habent undè vivant, arceantur; ne prætextu eleemoſynæ, inertia otioſorum hominum augeatur, verùm confecti morbo vel ætate, ad laborem minimè idonei, ac præſertim incolæ loci illius depauperati, eorum ſocietati aggregentur.

Seſ. 25. c. 8. de Ref. Hoſpitalia quæ ex Fundatione ſua, vel Statuto ſive Privilegio, Tutores ſeu Proviſores retinent perpetuò aſſignatos, ad mentem S. Concilij Tridentini circa e-

jus-

jusmodi usum ac consvetudinem conservamus. Si quæ ejusmodi ordine sunt destituta, ea Viris probis, idoneis & boni testimonij, qui sciant, velint & valeant loca ipsa, bona eorum, ac Jura viriliter regere, & eorum proventus ac redditus, in usus destinatos erogare, eos, super fideli administratione, Juramentum præstare, ac de Pauperum Bonis, inventaria conficere, Nobis vel Officio Nostro, de administratione sua rationem reddere, ipsorum tandem Officium ultra triennium non durare ac perseverare, imò elapso triennio, ipsos tali Officio reipsâ privatos esse volumus. *Tri. Sess. 7. c. 15. de Reform.* *Con. Tri ibid.*

Quia verò hoc depravato Sæculo, nec bona pauperum, quæ sunt *deposita pietatis*, rapinam invidorum nequeunt evitare, omnes eorundem raptores, usurpatores, violatores, occupatores, sive per se, sive per alium detentores, & quovis titulo bonorum, jurium, censuum, fructuum, emolumentorum ac obventionum appropriatores, imò etiam ne præfata bona ad illos deveniant, impedientes, in Bullam Cœnæ Domini incidisse, nec à Censuris excommunicationis ejusmodi, nisi à Summo Pontifice, aut eius Delegato, absolvi posse, excepto mortis articulo, declaramus. *Tert. in apologia c. 39.* *Bonac. in Bull. Cœnæ qu. 18. punct. 4. n. 9.*

Parochis omnibus, ut cum hujusmodi panis Pauperum, quem cum Christo communem habent, Raptoribus, aut quovis titulo Possessoribus jure agant, bona erepta seriò vindicent, præcipimus; aliàs secùs contra

ipſos, uti alienatores bonorum Eccleſiaſticorum, V. Inſtigatori actionem reſervamus.

Thren. 3 v. 1. Ne tandem Pauperes, CHRISTUM, qui *Vir videns paupertatem ſuam* dicitur, exprimentes, & qui veſtigia Chriſti, ex profeſſione ſua ſectari & vitam Illius imitari, ſunt adſtricti, in pane, qui favore & reſpectu CHRISTI eis tribuitur, luxurientur, aut eo ſaginati, DEI miniſterium, quod illis incumbit, atq; Eccleſiæ obſequium intermittant, eos, in porticu Eccleſiæ pacificè, diſtincto & ſegregato in ſuam partem ſexu, ſedere, ibidem Divinam Majeſtatem precibus exorare, poſt matutinum, & tum, dum alia devotio in Templis non abſolvitur, cantui alicujus ſacri pæanis operam dare; Eccleſiæ in caſu occurrenti inſervire; ejus pavimenta purgare; in cuſtodia Eccleſiæ donec oſtia claudantur, perdurare volumus & mandamus; & horum inſpectionem, ſeu aliàs etiam neceſſitate impellente, correctionem eorum charitativam DD. Parochis committimus.

Ne tamen ad labores alios, tam domeſticos Plebanales, quàm campeſtres, niſi fortè ſoluta mercede debita adigantur, ſub pœnis interdicimus.

Morem tandem Bullæ Pii V. quæ incipit: *Cùm primùm.* gerentes, quatenùs Parochi, pauperes mendicantes, ſeu eleemoſynas petentes, per Eccleſias tempore miſſarum, prædicationum, aliorumq; Divinorum Officiorum, ire non ſinant, ſed eos, ad valvas Eccleſiarum ſtare faciant, ſeriò præcipimus.

Audi-

Audivimus etiam, permultos ex alienis Diœcesibus adventantes mendicos, in saccis, per varia Oppida, Pagos, & Civitates cursitare, & Suffragia ac eleemosynas, à populo fideli in rem alienarum Ecclesiarum emungere, cùm tamen à Nobis vel Officio Nostro, facultatem super id & licentiam non habeant, proinde ut tales vagi, & extorres homines, à dicto quæstu arceantur, præcipimus & mandamus, nisi fortè iis expressa ab Officio licentia suffragetur.

CAPUT XXX.

De Decimis.

MIrabilis Ordo Divinæ Bonitatis, quæ postquam altissimæ Majestatis suæ oculo, *vidit cuncta, quæ fecerat, esse bona; ea humanis subjecit pedibus*, unica eorum omnium portione, in signum universalis sui Dominii, sibi reservata, quasi post elargitam tam numerosam bonorum quantitatem, probaret gratitudinem creaturæ, sorte in minima. *Gen. 1. v. 31. Psal. 8.*

Et primis quidem mundi incunabulis, cùm & DEI amor, & omnis rectitudo atq; sinceritas, sceptra tulit in orbe toto, primitias sibi vendicavit: *Offer primitias Domino.* Inclinante verò ad malum universo, & succedente, quo *omnis caro corruperat viam suam*, tempore, primitias *Exod. 34 v. 26. Gen. 6. v. 12.*

mitias quidem liberalitati reliquit, ſed Decimam partem eligendo, ac humanæ avaritiæ quodammodo cedendo, illam Decimam partem ſic Juri ſuo adſcripſit & mancipavit, ut illum, negare DEUM judicaret, qui Decimam dare detrectaret: Quare æternâ ſuâ præ-
Mal. 3. cepit ſententiâ: *Inferte in horreum meum, omnem Deci-*
v. 10. *mam, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc.*
Quid eſt probare DEUM? non virtutem ejus perqui-
Prov. 25. rere, qui enim *ſcrutatur Majeſtatem, opprimetur à gloria;*
v. 27. Sed ejus potentiæ & reali exiſtentiæ aſſentiri, eumq; qui carneis oculis non cernitur, ſaltem recognoſcere hoc tributo. Aſt fons malorum cupiditas, ſic mentes hominum brutales fecit, ut ejus imperio potiùs ſe ſubmittant, quàm Divino, per quod Apoſtaſiæ ſeſe ſubijciant evidenti. Quid autem poſt hæc ſubſequitur? *Ecce!*
Ierem. 2. inquit, *quia averterunt faciem ſuam à me, dorſum & non*
v. 18. *faciem oſtendam eis.* Et alibi: *Quia reſpexiſtis ad amplius,*
Agg. 1. *& ecce! factum eſt minus.*
v. 9.

Advertant ergo omnes, Decimam, rem DEO dicatam,
Ephe. 5. aut retinentes, aut penitùs denegantes, quàm manife-
v. 5. ſtê fidem ſuſpectam teneant, dum colunt *avaritiam*, & *idolorum* ſuſcipiunt *ſervitutem*, & Decimarum penſione renuunt probare DEUM, noluntq; agnoſcere, quòd
Iſai. 45. *DEUS ſit Dominus & non eſt alius.*

Hoccè verò tam deteſtabile crimen, quod vel maximè multa templa & Parochias facit deſertas, reprime-

re

re cupientes, præsenti Synodo inhibemus, ne quispiam qualiscunq; dignitatis ac honoris prærogativam habens, Decimas manipulares, quæ, tam Divino quàm humano Jure, à Serenissimis olim Ducibus Masoviæ, Privilegijs specialibus concesso, Clero debentur, & etiam in pecunia, sive quavis alia re consistentes, de cætero occupare, seu occupari mandare, liberam venditionem illarum impedire, aut illas in suis villis locari, & per subditos suos convehi, prohibere audeat, alioquin Sententiam excommunicationis incursurus. *Const. Prov. l. 3. tit. de Dec. Tri. Ses. 25. c. 12. de Ref.*

Nemini quoq; liceat consvetudinem Patriæ, Decimam manipularem, de quolibet grano in agro persolvendi, authoritate propria infringere, alteri Ecclesiæ vel Personæ donare, & applicare, sed ea, ut ex antiquo spendebatur, futuris quoq; ac secuturis temporibus, sinè contradictione ad quem pertinet, conferatur. *Const. Prov. ibid.*

Terras omnes, campos & agros sive cultos, sive colendos, aut aliis ad colendum dandos, à solutione Decimarum absolvere, nullus præsumat; alioquin absolventes & denegantes, ut talium Defensores & Fautores ab Ecclesiastica sepultura arceantur, Sacramentorumq; Ecclesiasticorum privatione puniantur. *Statut. Reg. H. v. Dec. §. Item decernimus.*

Pensionem Decimæ manipularis, in pecuniariam commutare, rigorosè interdicimus; nisi fortè ad normã Bullæ Urbani VIII. aliquis velit procedere: fieri autem sæpiùs consvevit, quòd ex Beneficiatis inveniuntur, qui aut alicu-

alicujus muneris intuitu, aut ſanguinis, vel amicitiæ & favoris ratione inducti, ipſi ſpontè in has commutationes conſentiunt, contractusq; de Jure illicitos & advitales ſuper præmiſſis faciunt, unde graves & intolerabiles, in recuperandis illis, difficultates Succeſſoribus pariunt, & eorum causâ, ùt plurimùm prædictæ Decimæ ſic immutatæ intereunt. Ideò præſens Synodus, hac in parte ſalubriter providere cupiens, & tam deteſtabile in Eccleſiis detrimentum reprimere volens, ne ullatenùs absq; expreſſa voluntate & licentia Loci Ordinarii, quicunq; Sacerdotes Beneficiati, Curati & non Curati, dictas Decimas & Proventus, genusq; & ſpeciem eorum, permutare audeant, præſumantvè ſub amiſſione Beneficii, cujus res ageretur.

Campos & agros per receſſum & fugam ſubditorum, qui eos colebant, deſertos, ſi per Curias & aulas conſeminentur, nolumus à decimatione eſſe liberos.

Statut. Reg. H. v. Dec.

Quandoquidem autem per incuriam Parochorum, magnum in ſegetibus, eò, quòd decimationem diu differant, evenit detrimentum, ſicut Dominos & Nobiles, circa Præceptum de Decimis perſolvendis cupimus obedientes experiri, ita eosdem, à mora percipiendi Decimas optamus relevare. Adeòq; non obſtante quavis conſvetudine, Conſtitutione & ordinatione, poſtquàm ſegetes in agro collectæ fuerint, Parochus cui debetur Decima, cum adminiculo Teſtium, per intervalla congrua,

grua, quorum quodlibet ad minùs duos dies habeat, ut ſuam Decimam tollat, requiratur, ac trina vice obdeſtinetur, ſtatuimus; quo Decimam tollere & recipere recuſante, elapſo triduo à tempore denuntiationis ultimò factæ, novem partes liberè licebit unicuiq; aſportare.

Hortamur inſuper in Domino, & tam Sæcularibus quàm Regularibus Presbyteris, ſub pœnis in Clementina: *Cupientes* ſtatutis, præcipimus, ut confitentibus peccata, conſcientiam omninò faciant, de obligatione tradendi Decimas iis, ad quos ſpectat, nec eos abſolvere præſumant, niſi plena reſtitutione ſubſequuta.

Concionatores quoq; imò Parochi Ipſimet, primo quoq; Dominico Die Adventûs & Quadrageſimæ, inſtruere ac informare tenebuntur populum, quales Cenſuras à SS. Canonibus propoſitas, ratione Decimæ denegatæ vel retentæ incurrere, quàm gravem DEI offenſam, eo modo cauſare, ultionemq; Divinam in ſe ac poſteros ſuos trahere ſoleant, ac propterea monita ad CHRISTI Fideles, quæ *in Appendice* adjunguntur *Numero VII.* quatuor vicibus in anno, ſcilicet Dominicâ ſecundâ Quadrageſimæ, Dominicâ infra Octavam Aſcenſionis Domini, in Feſto S. Laurentii Martyris, & Dominicâ Vigeſimâ tertiâ poſt Pentecoſten, idiomate Polonico relegent, & publicabunt, ut vel ſaltem tali modo ad reſtitutionem adigantur, & à detentione Decimæ terreantur.

Quoniam insuper sunt nonnulli, qui, modicam præsertim in pecunia pensionem, pro Decima tribuentes, atq; ad naturalem Decimationis ordinem, reverti penitùs recusantes, nulla habita desuper compositione, aut pacto per Ordinarium approbato, petentibus Decimam manipularem, consvetudinem antiquatam, sic exdecimandi obtrudunt & opponunt, iisdem cum S. Cypriano respondere volumus: *Quòd qualibet consvetudo quantùmvis vetusta, quantùmvis vulgata, veritati omninò est postponenda, & usus veritati contrarius est abolendus*; & Ratio est, quia si DEUS omnem Decimationem in suum horreum inferre voluit, defacto plenè & non cum injuria, Decima venit & est extradenda; non enim erit omne, quod per divisionem seu diminutionem mutilatur.

c. Si consvetudinem. 5. dist. 8.

Abolendo itaq; malas consvetudines & abusus, ne saltem ab hoc nostro tempore, memoria Decimarum elabatur, & usus earum, ubi Fundationes interierunt, extinguatur; ipsarum, earundemq; Decimarum ordinem, naturam, numerum, cæterasq; circumstantias, in regestro seorsivo ad id comparando, quotannis per Parochos annotari; quietationes de extraditis Decimis punctualiter in scripto dari; illud autem regestrum sub tempus Visitationis, DD. Visitatoribus demonstrari, per eos, verificari & subscribi; casu quo verò à quopiam non haberetur, carentes, solutione marcarum quinq; pro Seminario

minario Pultoviensi affici volumus, & perpetuò ordinamus.

CAPUT XXXI.

De Censibus & reliqua Dote Ecclesiarum.

CUm paupertatem nonnullarum Diœcesis Nostræ Ecclesiarum conspicimus, non aliam depauperationis earum, nisi alienationem bonorum, censuum, ac proventuum, causam & rationem esse judicamus. Multi enim census ac redditus, vel negligentiâ Parochorum, quæ sua sunt vindicare nolentium, extincti sunt; vel solutioni obnoxiorum astutiâ, malitiâq; absolutè sublati; & tamen unicuiquè tam perfida mente, cum DEO & ejus Ecclesia procedenti, horrendum D. Augustinus intonat classicum, nimirùm: *per illud infernus emitur,* S. Aug. *quod cum injuria pauperum* & etiam Sacerdotum *avidiùs retinetur, & quò plùs cum pravi affectûs admixtione possidetur, eò plùs in ponderosiorem pœnarum taxationem asservatur.*

Quocirca per Viscera CHRISTI, adhortamur cunctos, ad solutionem censuum proventuumq; Ecclesiæ obligatos, ut inscriptionibus suis, suorum Antecessorum Fundationibus, plenè satisfaciant, satisfieriq; satagant; qui enim tollit Majorum suorum pietatem, benedictionem

nem ſibi ſubtrahit, quam ipſi à DEO meruerunt.

Sed ne quispiam Beneficiatus, Divinam in ſe maledictionem invehat, eò quòd ſegniter fortunam Eccleſiæ vindicet, ſub interminatione Divini Judicii omnibus præcipimus: ut quosvis cenſus, proventusq; ſi quos vel in dubium vocari, vel penitùs negari adverterint, omni conatu vindicent, inſcriptiones ad manum habeant, omnemq; in vindicando adhibeant vigilantiam.

Nullus Beneficiatorum cujuscunq; Dignitatis fuerit, ſummas in cenſum annuum reemptionalem collocatas, ſinè Noſtra, Officiiq; Noſtri expreſſà licentia, in alia Bona transferre, vel diminutionem earum, ſeu cenſuum ab iis provenientium, quocunq; titulo & reſpectu, permittere audeat & præſumat; alioquin tam contra non vindicantes, quàm & talia præſumentes, uti contra alienatores Bonorum Eccleſiaſticorum, ad inſtantiam Inſtigatoris procedatur.

Cùm Bona Eccleſiaſtica, ſint verum CHRISTI Patrimonium, locationes autem & conductiones Bonorum Eccleſiaſticorum, ſunt ſpecies alienationis, ac propterea quàm ſint damnoſæ & pernicioſæ, continuâ edocti experientiâ, ſancimus, ut omnes Beneficiati Diœceſis noſtræ, necnon Moniales cujuscunquè Ordinis, Jurisdictioni Noſtræ ſubjectæ, in locandis Bonis Eccleſiarum, Beneficiorum & Monaſteriorum ſuorum, quàm cautiſſimi ſint, eaq; Viris probis, ac duntaxat Catholicis, qui ea melio-

meliorare, non, quòd sæpè contingit, desolare valeant; & quidem non ultra triennium, idq; ex causa coram Nobis ipsis, proponenda & approbanda, licentiâq; à Nobis, in scriptis obtentâ; cautiones quoq; super locationibus & arendis, nullo modo faciant, coram foro Sæculari, sed tantùm coram Ecclesiastico; cùm id vergat in diminutionem libertatis Ecclesiasticæ, nec in Contractibus, forum Sæculare ullatenùs in casu contraventionis reservent, sed tantùm Spirituale, sub nullitate eorundem Contractuum & pœnis gravissimis per Nos infligendis.

Prohibemus etiam, ne àmodo quispiam Beneficiatus, pecuniam Ecclesiæ propriam, ex ipsius proventibus, seu ex pia largitione Fidelium congregatam, in proprium ac peculiarem usum suum convertere, mutuò cuipiam dare, sed sub sua, & Vitricorum clavibus, in Sacrario asservet, & in eas res, quibus magis Ecclesia indiguerit, expendat; vel si aliqua major sit summa, perpetuus aliquis census ematur, & in rem Ecclesiæ, non in personam propriam Parochi, inscriptione coram Actis authenticis à Debitore facta, cum consilio Nostro vél Officii Nostri collocetur.

Ut autem integritati rerum Ecclesiasticarum consulatur; Parochos & Ecclesiarum Rectores, ad demonstrandum quotannis ea, quæ suis Ecclesiis accesserunt, obligamus; & hujuscè rei animadversionem DD. Visitatoribus commendamus.

Qua-

Apud Quarā ta. V. Archivū. Quamobrem inhærendo Conſtitutioni felicis recordationis Sixti V. Papæ, præcipimus omnibus Curatis, cæteriſq; quibusvis Beneficiatis, ac quorumvis locorum piorum Adminiſtratoribus, ut inventarium omnium Bonorum, mobilium & immobilium, ſubditorum, & eorum obligationum, pecudum, Domûs Plebanalis & ſubditorum, caſarum, & domorum, hortorum & agrorum, cenſuum quoq; reemptionalium, cum indicatione temporis, quo conſtituti fuerunt, cum expreſſione nominis & cognominis conſtituentium & recipientium, Caſtri quoq; & Actorum, coram quibus ſunt recogniti, quotæ? quæ? qualis provenit? cæterorumq; redditUum & obventionum, Jurium & Jurisdictionum, Privilegiorum & Scripturarum, accuratè conficiant, illudq; manu ſua propria ſubſcriptum, uno exemplari ſibi reſervato, alterum ad Archivum Epiſcopale tranſmittant, tertium deinde apud Decanum Foraneum reponant, quotannis circa Viſitationem, aut inſtitutionem Succeſſoris præſentandum. In eodem inventario connotari mandamus, legata pia cum ſuis oneribus, res malè alienatas, ſeu uſurpatas, ac deniquè furto ſublatas, tum deniq; Erectiones, Donationes, Inſtrumenta, ac documenta quævis, ſuis Eccleſiis ſervientia, etiam Jurispatronatûs; in quorum fine, ponatur clauſula, quòd ex ejusmodi inventario, nullum Eccleſiæ præjudicium generari debeat, ſi fortè poſtea alia Bona comperta fuerint,

quæ

quæ quomodocunq; ad Ecclesias spectare & pertinere dignoscerentur.

Accuratam pariter, circa locationem & investituram censuum observationem, adhiberi præcipimus, ut scilicet præter Nostram licentiam, priùs legitimè constet, tam de valore Fundi, super quo census imponitur, quàm de eo, quòd ejusmodi censui se obstringens, habeat verum Fundi Dominium, ab omni hypotheca & fidei commisso liberum, quòdq; sit solvendo idoneus, nec ære alieno gravatus. Eosdem contractus locati & conducti, nec non locationes censuum, cum Consanguineis Parochorum & Beneficiatorum, fieri ulla ratione, sub pœnis gravissimis inhibemus.

Prohibemus insuper, ne quicunq; Beneficiati, quidquam de bonis Ecclesiarum suarum, Beneficiorumq; immobilibus & mobilibus, donare, vendere, promittere, infeudare, obligare, hypothecare, seu alio quovis modo præsumant, nisi ex gravissimis, justissimisq; caussis, adhibitaq; debita solennitate, idq; cum scitu Nostro, sive Officii Nostri; alioquin ejusmodi alienationes nullæ sint & irritæ, alienantesq; privationis & excommunicationis sententiam eò ipsò se noverint incursuros, & ab ea non aliàs, nisi alienatis, priùs ad Jus & proprietatem Ecclesiarum, restitutis, absolvendos.

CAPUT XXXII.

De Dignitate, Vita & Honestate Clericorum.

MAgna & indicibilis Sacerdotum Dignitas, usq; adeò est elevata, ut neq; cælesti Angelorum Hierarchiæ queat comparari. *Si enim eorum in manibus DEI Filius, velut in utero Virginis incarnatur*, ita, ut non immeritò *Parentes Christi* nominentur, *mediatores DEI & hominum, Superiores Angelis*, Sanctorum Patrum testimonio agnoscuntur. Sed quid honorum proderit titulus? aut *quid est Dignitas, indigni humeris imposita? quàm gemmæ moniliaq; cœno superstrata* ac proinde væ illi! cujus vita & actio cum tanto ac tali honore non coincidit, ei non conformatur nec correspondet!

S. Aug. hom. 2. in Psal. 37. S. Bern: S. Aug. Ser. 37 ad Frat. in eremo. Salvianus Massilien.

Quisquis ergo est, qui Sacro Clericatûs Ordini nomen dedit, videat, quantùm & quàm gloriosum gradum obtinet; *Si enim altitudinem cœli contempletur? altior est; Si pulchritudinem solis & lunæ stellarumq;? pulchrior est; Si discretionem Angelorum? discretior est; Si omnium Dominorum sublimitatem? sublimior est; solo Creatore suo, inferior est.*

Cassia. in Cat. glor. mund. p. 4.

Unde hortamur omnes in Domino, *ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis; Bonas faciat deinceps vias suas, ita agat & vivat, ut adolescentiam suam nulla sorde*

2. Pet. 1. v. 10. S. Bern: Epist. 28.

sorde commaculet, & ut ad Altare Christi tanquàm sponsus procedat de thalamo suo.

Absit, ut quispiam verbo, gestu, vel minima actione, audeat sanctitatem in se requisitam profanare, aut fœdâ quâdam voluptatulâ contaminare.

Caveant, ne gregem sibi commissum, quocunq; modo scandalizent & corrumpant; sed meminerint, quòd sint Presbyteri in populo DEI, & quòd ex illis, pendeat illorum anima; timeant, ne quandò illis exprobretur, quod legitur apud Psalmographum: *Adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum*, animas enim Fidelium requiret Dominus de manibus Sacerdotum. *Psal. 49.*

Nec satis sit saltem sinè reprehensione vivere, contendant omnino, ac totis viribus adnitantur, ne Laici, qui hujus mundi fluctibus sunt immersi, Sanctioris vitæ inveniantur aut judicentur; sed tantâ omnes virtutis gloriâ præfulgeant, ut instar solis, cæteros quasi stellarum igniculos, suo fulgore faciant obscurari.

Et cùm plerùmq; talis quis esse præsumitur, qualis ex habitu iudicatur, hac Nostra perpetuò duratura Constitutione sancimus, ut vestibus coloris alterius, quàm nigri, nemini uti liceat, in quibus etiam quidquid sæculum & vanitatem ipsius redolet, sedulò evitent, vestes pretiosas sericas, præcipuè verò floribus intextas, deferre Ecclesiasticis minimè convenit, multoq; meliùs id, vel in ornatum Ecclesiarum, vel in subsidium

pauperum converteretur, quod quandòq; non finè scandalo Sæcularium, in luxum & nimium apparatum impenditur. Pileos, vestes, à forma sæculari diversos, & ad modestiam Clericalem compositos gestent. Pilei sint rotundi, nigriq; coloris & pili, in itinere tamen alii, pro commoditate majori tolerari possunt, quibus nihilominùs in Civitatibus & maximè in Ecclesiis uti omninò prohibemus.

Horas Canonicas singulis diebus devoti & attenti, Missæ Sacrificium, si non quotidiè, saltem omnibus Diebus Dominicis & Festis, vel sæpiùs in hebdomada absolvant. Ubi autem unus tantùm Presbyter penes Ecclesiam existit, quotidiè pro commoditate Parochianorum celebret.

Crapulam & ebrietatem, quæ plurimorum & maximorum malorum fons est & origo, vitent. Nam *cùm in* Ephes. 5. *vino sit luxuria*, & ingluviei comes sit libido, pestem hanc non solùm Sacerdotes, sed & omnes vitare debere Lucæ 21. v. 34. ipse Salvator noster præcepit dicens: *Attendite, ne graventur corda vestra, in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Quodsi Sanctorum Patrum abstinentiam & jejunia, quibus illi perpetuò dediti erant, imitari durum fortassè alicui videatur, saltem delicatiores cibos non quærant, mensâ & victu frugali contenti sint.

1. Cor. 6. v. 15. Libidinem tanquàm lethale venenum fugiant, & absit, ut *tollens* quis *membra Christi, faciat membra meretricis.*

Alio-

Alioquin *siquis templum DEI, quod* ipse est in se, *vio-* 1. Cor. 3. v. 17.
laverit, disperdet illum DEUS. Sæpiùs autem mente revol-
vant, si Vas electionis D. Paulus *castigavit corpus suum* 1. Cor. 9. v. 27.
& in servitutem redigebat, attamen sentiebat stimulos,
ut quasi vim patiens vociferaretur: *Infelix ego homo!* Rom. 7. v. 25.
quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quomodò pote-
runt de se præsumere Ecclesiastici, ut absquè vulnere aut lapsu, tentationes carnis superent, nisi ad vincendam earum tentationum pugnam, Divinum auxilium sinè intermissione imploraverint, nisi corpus jejuniis, vigiliis & aliis afflictionibus exercuerint, & lumbos, continentiæ disciplinâ præcinxerint, incentiva libidinis & omnes occasiones removerint, nisi deniq; omni custodia cor suum & sensûs omnes custodierint, & ad castitatem conservandam, omnem viam muniêrint.

Ad evitandum autem ab altero sexu periculum, cùm adversùs illud, fuga ac recessus à fœminis, potissimum sit remedium, decernimus, ut nemo de Clero Nostro, sub uno tecto cum mulieribus, cujuscunq; Statûs, manere præsumat, & sicubi ad præsens, aliqui Beneficiati unam tantùm domum habent, in qua sub uno tecto & fœminæ manent, iis, quatenùs intra decursum unius anni, à publicatione præsentis Synodi, domum vel domunculam distinctam, pro sua familia domestica construi faciant, ibiq; utriusq; sexûs familiam collocent, in timore DEI, & omni honestate conservandam, seriò præcipimus;

mus; aliàs certos Proventus ſuos, ad eum effectum noverint ſequeſtrandos.

Omnes certò etiam perſvaſos eſſe volumus, Nos ſuper vitio hoc impudicitiæ in Clero, ſi fortè reperiatur in aliquibus, nullam habituros conniventiam, ſed juxta Sacros Canones rigorosè, contra delinquentes proceſſuros. Quare Decanis locorum in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus; ut ſiquos in Decanatibus ſuis, vitio luxuriæ præcipuè & ebrietatis deditos noverint, ſub pœna privationis Officii, eosdem ad Nos, vel Officium Noſtrum deferre quàm primùm teneantur. Quodſi verò, quod DEUS avertat, ipſi Decani de hiſcè delictis ſuſpecti fuerint, non ſolùm ab Officio amovebuntur, ſed etiam aliis gravioribus pœnis ſubjacebunt.

Nullus etiam Clericorum, doceat mulieres legere, ſcribere, cantare, organa pulſare, fidibus canere, ſub gravi Canonica ultione, prætextu enim hujus tam blandæ actionis, immiſcet ſe viſcus impiiſſimæ libidinis.

Avaritiam quoq; fugiant, cùm enim avaro nihil ſit
Tim. 6. ſceleſtius, & *omnium malorum* ſit *radix cupiditas*, ab eo
v. 10. ſcelere cavere debere præmonuit etiam Chriſtus Domi-
Lucæ 12. nus: *Cavete*, inquiens, *ab omni avaritia, quia non in a-*
v. 15. *bundantia cujusquam, vita ejus eſt ex his, quæ poſsidet.* In ſumma, pecuniæ lucrivè, avidi non ſint; nemo enim
Matt. 6. *poteſt ſervire DEO & mammonæ, aut enim unum odio*
v. 24. *habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum*
conte-

contemnet. Semper quòq; meminerint, non Sæculi se mercatores, non mammonæ sed Christi Ministros esse, *ibid. v. 20* nec *thesaurizare sibi debere thesauros in terra, quos tinea & ærugo demolitur*, sed bonorum operum abundantiâ cum charitate conjunctâ *thesauros* facere *in cælis*, studereq; debere lucrari animas DEO.

Qui de Clero Pauperes sunt, ne cupiant *divites fieri*, ut non *incidant in tentationes* nocivas *& in laqueum diaboli*. *Tim. 6. v. 9.* Paupertatem ne molestè ferant, paupertatem dilexit & docuit cælestis Magister Christus, qui nascens in præsepio ponitur, & nudus in Cruce moritur; paupertati sociæ sunt: sobrietas, abstinentia, & reliquæ virtutes, quibus prælucere oportet Ministros DEI. Timentibus DEUM, sanctumq; nomen Ejus invocantibus, nihil deesse potest, multò minùs Sanctis Sacerdotibus. Sit præ oculis Sanctorum veterum Patrum vita, qui lucrum non spectârunt, temporalia non quærebant, nihil tamen iis deerat, imò in paupertate, etiam illis aliquando, quæ aliis erogarent, abundabant.

Volumus etiam, ne Clerici ex redditibus Ecclesiæ, Consanguineos aut familiares suos augeant, multò minùs Ecclesiæ bona in malos usus convertant, vel ea dissipent, quorum non Domini sunt, sed Dispensatores; verùm exemplo Sanctorum, paupertate, sobrietate & parsimoniâ vitæ sic agant, ut non modò à supervacanearum rerum usibus abstinentes, sed suo etiam victui de-

defraudantes, Ecclesias & Altaria exornent, sarta tecta conservent, Sacra supellectili instruant, & Pauperum necessitatibus subveniant.

Manus suas à percussione hominum contineant, arma ne deferant, nisi necessitatis itinerisq; causâ, ita tamen, ut sinè scandalo publico fiat; Judicia ubi sanguis effunditur, fugiant; ludicra spectacula, choreas, venationes, præsertim clamorosas, aleas, chartarum lusum, ac ejusmodi inanes hujus mundi ineptias abhorreant.

Psal. 17. Consvetudinem malorum hominum fugiant, *ne cum*
Eccl. 13. v. 1. *perversis pervertantur; qui enim tetigerit picem, inquinabi-*
1. Cor. 5. *tur ab ea; & modicum fermentum totam massam corrumpit.*
v. 6. Quorum autem officii ratio exposcit, ut medicorum more, non ut ipsi coinquinentur, sed ut alios potiùs curent, & exemplo Salvatoris, cum peccatoribus quandoq; conversari debeant, eum inter eos vivendi modum teneant, ut & dignitatis suæ, & eorum, cum quibus conversabuntur, rationem habeant.

Procul ab eis sint maledicta, detractiones, adulationes, mendacia, nugæ, verba otiosa, quæ aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis carent, sed eorum sermo sit semper sale conditus, prudens, gravis, modestus ac verax.

Dominis Sæcularibus, pro Factoribus, Villicis, aut Oeconomis, cum Statûs & Dignitatis Clericalis dedecore, sub pœna suspensionis ferendæ, ab exercitio suorum

rum ordinum, & ministerio Altaris, & aliis arbitrariis, non se exponant.

Charitatem, quæ Seminarium est omnium virtutum, omni studio amplectantur, *hoc enim maximum mandatum est*, à quo *lex pendet & Prophetæ*; quomodò enim præcipuam hanc virtutem sectandam, populum sibi subjectum, docebunt? si ad invicem altercantes, intestinis odiis & contentionibus scissi fuerint, quos unius corporis mystici membra esse oportet. Quare Vicariis observantiam Parochorum, & Parochis amorem erga Vicarios insinuamus; obsecrantes per viscera misericordiæ DEI Nostri, cujuscunq; Dignitatis Beneficiatos, ut non tantùm per characterem Ecclesiasticum, suumq; decus & meritum, sed etiam per juratam Nobis & Successoribus Nostris, obedientiam & reverentiam, vitam & mores suos ad hanc Nostram Ordinationem sic componant, quatenùs ædificent Ecclesiam DEI, & meliorem, quàm hoc ferè ævo videtur, de Statu Ecclesiastico in animis Sæcularium impressionem faciant, ac præmium beatitudinis temporalis ac æternæ acquirant.

Mat. 22. v. 38.

Porro cùm diuturnâ experientiâ compertum sit, ad retinendam conservandamq; Sacerdotalis ordinis dignitatem & Sanctimoniam, maximè conducere, ut Viri Ecclesiastici, Spiritualibus Exercitiis aliquando vacent, quibus, quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commodè detergitur, Ecclesiasticus Spiritus

reparatur, mentis acies ad Divinarum rerum contemplationem extollitur, rectè Sanctèq; vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur. Proinde ut pium hoc & saluberrimum Exercitiorum Spiritualium opus, in Diœcesi nostra frequentetur ac vigeat, omnes quocunq; titulo Beneficiatos, in Domino hortamur: ut quivis illorum, semel in anno, per octo, aut saltem per quinquè dies, in Seminariis Diœcesanis, vel etiam in Domibus Religiosorum PP. Soc: JESU, seu Presbyterorum Congregationis Missionis, Recollectiones has Spirituales absolvat, & Testimonium de absolutis, Nobis sive Officiis Nostris exhibeat; quod à recurrentibus ad approbationes, Officiales Nostri solicitè exquirent, & nisi docuerint, se exercitiis Spiritualibus vacâsse, tempus absolvendarum Recollectionum iis præfigi volumus.

CAPUT XXXIII.

De Obligationibus & Residentia Parochorum.

QUærant imprimis salutem proximi, & tota cordis ac charitatis amplitudine effundant se in studium & lucrum animarum; nihil enim DEO tam gratum est, quàm pro viribus operam dare, ut homines reddantur meliores.

Sta-

Statum animarum, nimirum qui? & quot Fideles intra eorum Parochias reperiantur? habeant connotatum; cumq; quotannis, circa Festum Paschatis, cum summa circumspectione renovent, ac Nobis vel Officio Nostro post expeditam Confessionem Paschalem, cum expressione, qui vitiis publicis laborant? in Censuris insordescunt? Confessionem Paschalem non absolvunt? transmittere non negligant.

In Sacramentorum quorumq; administratione, non sint Ministri quæstuosi, sed quod *gratis acceperunt, gratis*, & ex charitate impendant; horribile enim nimis est, quòd apud quosdam, locum venalitas perhibeatur habere; qui res Sanctissimas, pretio nummario æstimare & dehonestare non verentur, atq; etiam Sacramenta differre, nisi ipsis tantùm ac tantùm detur, cum magno Fidelium scandalo & grandi periculo animarum. *Mat. 10. v. 8.*

Vocati ad infirmum, quocunq; tempore, absq; ulla mora, omnibus aliis negotiis postpositis, statim evolent, & licèt periculum non dicatur adeò esse magnum, tutiora tamen eo in passu sequantur consilia, imò non semper expectent, donec ab ipsis infirmis invitentur, sed ipsimet de Parochianorum suorum valetudine inquirant, ac periclitantibus paternè subveniant, juxta illud: *Consolare illum in exitu Spiritûs sui.* *Eccl. 38. v. 24.*

Ad lites Parochianis suis intentandas, nullatenùs sint faciles, sed priùs Nobis vel Officiali Nostro, Cau-

ſam litis excitandæ exponi faciant; Nos vel Officia Noſtra, civiliora remedia attentabimus, quæ ſi non ſuccedent, licentiam jure agendi permittemus; quod non ſolùm de criminalibus, verùm etiam in civilibus, obſervari præcipimus. Popularis enim & grata eſt omnibus bonitas, nihilq; quod tam facilè illabatur humanis ſenſibus, in Sacerdotibus verò incredibile quantùm procedat ad cumulum dilectionis, profectum & lucrum animarum.

Sub tempus Confeſſionis Paſchalis, quantùm fieri poteſt, alium Sacerdotem, dummodò ſit approbatus pro confeſſionibus Parochianorum ſuorum, invitent, contingit enim, quòd cum periculo Sacrilegii, conſcientiarum ſuarum latebras, proprio Parocho minùs aperiunt, confidentiùs autem iis, quibus ſuus author ignoratur, turpitudines humanæ revelantur.

Volumus etiam, ut ſtatutum Jlluſtriſſimi olim ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZAŁUSKI Anteceſſoris Noſtri ſuper modo benedictionis eſculentorum pro Paſchate, ſuum obtineat vigorem, obſerveturq; exactiſſimè à Parochis, quod hic inſerimus: invaluit conſvetudo ex intentione quidem pia, & laudabilis, ex abuſu autem intolerabilis, benedicendi pro Paſchate eſculenta in Domibus Laicorum. Cùm autem Parochi, illo Sacro tempore, Chriſto Domino in Sepulchro repoſito, benedictionibus ignis, ſacri fontis, confeſſionibus excipiendis,

dis, ac aliis sacris Cerimoniis intendere deberent, ipsi iis, quæ oportet facere, omissis, per pagos, villas, domos cursitant, & sæpè benè poti, vix redeunt ad levandum de Sepulchro Christum Dominum, imò ad Missæ Sacrificium, in die illo festivo inepti, cum ingenti scandalo & Cleri opprobrio. Ideò imprimis doceant, non esse necessarium, ut omnia esculenta benedicantur, sed sufficere unum vel alterum, etiam solum panem, adeóq; hæc facilè posse adferri ad porticum Ecclesiæ, & simul benedici. Nihilominùs Sabbato Sancto, præsertim ubi plures sunt Sacerdotes, poterunt ad domos nobiliorum, in Ecclesiam beneficorum excurrere; ad quos cæteri minoris conditionis, sua esculenta comportent ex illo pago. Si autem omnes ferè sunt æquales, uno anno ad unum, alio ad alium, & sic per consequens, hæc esculenta conferantur pro benedictione. Impossibile enim est, tam brevi spatio, in singulorum domibus benedicere, præsertim ubi amplæ sunt Parochiæ, & dissitæ villæ, ac difficilia itinera, uti ordinariè sunt illo tempore. Caveant autem ne manè Sabbato Sancto, vel Dominicâ Resurrectionis, pro hac benedictione excurrant.

Si ex Parochis unus, alterius opus habuerit adjutorio, in confessionibus audiendis, aut Verbo DEI prædicando, fraternè se invicem, citra tamen injuriam propriæ Parochiæ, in piis ejusmodi occasionibus adjuvent,

ſicq; ſobriè ac devotè tales ſolennitates celebrent.

Barboſa de Officio. & poteſtate Parochi.

Diſcordias, ſummo cum charitatis ſtudio, præcipuè inter proprios Parochianos filiosq; ſpirituales componere ſatagant, quibus ſedandis, ſi fortè ipſimet impares extiterint, eas Nobis referant, Nos pro munere noſtro ſuccurremus.

Proceſſus à Nobis, vel Officialibus, Decanisq; Noſtris, cùm ſint ad inſtar canalium, quibus tota Diœceſis, ſalutaribus monitis irrigatur, Parochi ſinè ulla mora, ad vicinam Eccleſiam transmittant, non per ſeniculos pedeſtres, ſed per ſcholares in equo, quò ad fieri poteſt, adnotatâ horâ, quâ ad quem pervenerunt, & quâ ſunt expediti; illos tamen etiamſi impreſſi fuerint, deſcribant in libro ad hoc ſpecialiter deſtinato, & in viſitatione exhibendo, curentq; illorum contenta benè intelligere, & quæ ordinantur, populo publicare.

Inhærendo Declarationi S. Congregationis Rituum, quâ vetatur, ne Sæcularibus, patenæ ad oſculandum porrigantur, Synodaliter in omnibus & ſingulis, tam Sæcularium quàm Regularium Eccleſiis, hunc abuſum tollere cupientes, ſub pœnis Nobis vel Officialibus Noſtris, reſervatis mandamus, ne cuipiam alteri, prætorquàm in Eccleſiaſtica vel Senatoria dignitate conſtitutis, vel alio ſpeciali fulgentibus honore, Eccleſiarumq; Patronis inſignioribus, ad ipſum altare, non perambulando per Eccleſiam, patena detur reverenter exoſculanda.

Cùm

Cùm autem primam, non benè administratæ curæ animarum occasionem & causam esse censeamus, absentiam Parochorum à beneficiis, sub rigorosa animadversione præcipimus, ut continuò muneri suo Pastorali invigilent; circa Beneficia sua personaliter resideant; nec ex causa cujuscunquè obsequii, Sæcularium quarumvis Personarum, aut occasione prætensæ cujusvis necessitatis, sinè licentia Nostra, sese ab Ecclesiis absentent; aliàs enim ultra reatum peccati mortalis; pro rata temporis absentiæ, fructus non facient suos, nec tutâ conscientiâ quamvis etiam nulla Declaratio Judicis intercesserit, eosdem retinere possunt, sed pro fabrica loci, aut pauperibus erogare tenentur. Nec sibi quisquam confidat aut persvadeat, sufficere in vinea Christi per Vicarios laborare, alioquin satis esset per Vicarios manducare. *Tri. Sess. 23. c. 1. de Reform.*

Quia verò multas alias obligationes Parochorum, sub aliis Titulis & Articulis, præsertim ubi de Sacramentis actum est, expressimus, ad illas illarumq; notitiam, lectionem, quosvis Curatos referimus, viridemq; earum observantiam commendamus; aliàs noverint se non tantùm Nobis temporaliter, sed quod maximum, DEO Omnipotenti, strictam & indispensabilem rationem reddituros.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

De Obventionibus & Accidentiis Parochorum, tùm de quarta parte Funeralium.

SPontè ac ultrò oblata Sacerdotibus, accipiendi facultatem non præcludimus; quia tamen ea, quæ gratis accipiuntur, gratis dari debent, ut Sacramenta Ecclesiæ, non solùm sinè simoniæ labe, sed etiam sinè omni avaritiæ & cupiditatis suspicione ministrentur, diligenter quivis Sacerdos, sub rigorosa Canonica ultione, omninò cavere debet, ne in eorum administratione aliquid exigere directè vel indirectè, per se, vel per alium præsumat; nevè ob id, si nihil ipsi offerretur, se difficiliorem aut incivilem in ministrando, cum molestia & scandalo interessentium exhibeat.

Quia verò continua inter Parochos & Parochianos, altercatio solet exoriri, ratione sepulturæ & funeralium, quid nimirùm pro ejusmodi obsequio, mortuis exhibito, vel exhibendo dandum sit & tribuendum? ideò dispositionem, olim Illustrissimi ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZAŁUSKI, Episcopi, Prædecessoris, & Patrui Nostri, in Litera sua Pastorali expressam, imitantes, statuimus & inviolabiliter observari præcipimus, ut Parochi

rochi pro Processionibus, Vigiliis, Conductu, Missa cantata, ac sepultura in Ecclesia, sint contenti primò à Personis Illustribus, duarum vel plurium Villarum Possessoribus, florenis viginti. Ab aliis minoris conditionis, subditos decem *v. g.* habentibus, florenis quindecim. A cæteris omnibus Nobilibus, civibus, rusticis in Ecclesia tumulari volentibus florenis decem. Quorum omnium, una tertia pars cedat, pro necessitatibus Ecclesiæ ad Corbonam, alia tertia pars Parocho, tertia Vicario (si adest,) cum scholaribus per medietatem dividenda. Pro sepultura in Cœmeterio cum Psalmo Miserere, & Salve Regina, à Sacerdote cantandis, florenis duobus. Pro pulsu campanarum, Crucis & Vexillorum delatione, teneatur antiqua consvetudo cujusvis Ecclesiæ, accipiendi aliquot grossos, nisi quòd, ubi majores sunt campanæ, à pluribus pro pulsu trahendæ, debeat plus aliquid accipi, usq; ad florenum, pro qualibet vice; ne fortè ob facilitatem pretii, omnibus pulsum illarum prætendentibus, citò destruantur, quæ cum tanto labore & sumptu sunt comparatæ,

Per hanc tamen declarationem, non præfigitur DD. Sæcularium liberalitati & generositati terminus, nec Sacerdotibus laxatur licentia, dictam quantitatem ab iis, qui verè non habent, unde juxta statum suum reddant, indiscretè ad novissimum usq; quadrantem exigendi.

Quia tamen nomine accidentium, venit etiam quar-

ta pars funeralium, quæ hodie ex generali consvetudine Parochis, & non alteri cuipiam, juxta dispositionem Conc: Trid: (a) in quantitate, per consvetudinem Regionis & locorum solita & præscripta, (b) debet solvi; ideo de eadem, hoc loco Statutum Nostrum adijcientes, quòd pro exactione quartæ Funeralis non gravatur Heres, sed lis agitur inter Parochum & Ecclesiam tumulantem, (c) decisionem S. Congregationis Episcoporum & Regularium in Civitate Castelli 14. *Aprilis* 1615. hoc in passu, observari præcipimus; quòdq; Quarta Funeralis debetur Parocho, non solùm de his, quæ cum funere deferuntur, sed de omnibus illis, quæ intuitu (d) sepulturæ tradita fuerunt Ecclesiæ tumulanti declaramus.

Declaramus item, quòd Parochus super cadaveribus, quæ alibi, intra tamen fines illius Parochiæ (e) tumulantur, Officium funebre cantare & absolvere debeat, non autem quispiam alius, nisi fortè ejusdem Parochi accesserit permissio, à tumulantibus impetrata.

Ad extremum quibusvis extorsionibus obviando, universum Clerum per Christi viscera obligamus, ut charitatem ergà proximos maximè solicitudini suæ commissos, tantò magis erga mortuos suos Parochianos non fictam habeant, illis, pietatis Christianæ & quævis charitatis Officia non denegent; circa sepulturas, mites manus ac viscera paterna exhibeant; pauperes gratis sepeliant; ne qui sepeliunt, de damno gemino ingemi-

scere,

(a) S. 24. c. 13. de Ref.

(b) Cô Cô. in Ebred. 25. Julij. 1695. & in Mantuan. 18. Ju. 1699.

(c) Monacel. For. Pract. tit 14. for. 1. n. 14.

(d) Monacel. For. Pract. in additament. post dec. n. 4. p. 526.

(e) Monacel. For. Pract. tit 13. n. 70.

scere, quòd Pater, Affinis, Maritusvè eos orbaverit, & quòd tanto pecuniæ impendio illos tumulare compellantur; nevè illud Judæorum proverbium, quod mortuo Josepho & Levi, teste Genebrardo creverat, verificetur in grege Christi cum Jsràëlitis: Uno ê Fratribus mortuo, alii oppressi sunt.

CAPUT XXXV.

De Provisoribus, Provisione & Provisis, nec non de Clericis vagis & ad alias Diœceses transeuntibus.

CUm multùm intersit in recta Provisionum, futuris uniuscujusq; Ecclesiæ Vicariis, à suis Provisoribus inscriptione procuranda, hæc enim si ritè & ad proportionem justi fuerit ordinata, Provisos in fideli Ecclesiæ ministerio conservat & retinet; sin secùs occasionem illis transfugii, ac turpis per alienas Diœceses divagationis præbet ac ostendit. Inde Nos sustentationi congruæ & decori, ac honestati eorum, qui Sacris initiantur, Pastorali solicitudine succurrentes:

Mandamus omnibus Parochis & Curatis, ut antequàm portionem sui redditûs, seu sustentationem, ex

eodem, alicui per inſcriptionem Proviſionis promittant ac declarent, ſuæ cumprimis indigentiæ rationem habeant, non enim rectè ac prudenter alimenta diſtribuit, qui per factam alteri diſtributionem eorundem, ſe famelicum ac inopem conſtituit.

Ferant proindè Proviſores ac procurent teſtimonium à Decano loci, cum ſubſcriptione Notarii Decanatûs ejusdem, per quod conſtet eosdem habere redditus ſufficientes, ad fovendum Vicarium, quòd adſit domus pro Vicario, quòdq; Vicarii fovendi juſta ac rationabilis adſit neceſſitas.

Accedant quoq; ipſimet in Perſona ſua, ad Nos, Officiumquè Noſtrum, & expoſita vera & evidenti tenendi Vicarii neceſſitate, exhibita demùm ſupra requiſita atteſtatione, Proviſum etiam futurum, ante conſpectum Noſtrum inducant & præſentent, ſicq; facultatem inſcribendi Proviſionem petant & depoſcant.

Inſcriptioni in Cancellaria per ſe ſolos, non autem per alium quempiam, aut per literam faciendæ, unà cum eo, cui providetur, præſentes adſint; præmiſſoq; priùs ſuper eo, quòd priores Proviſos ad ſuas Eccleſias vagos non habeant, de illis non ſciant, aut in eorum præjudicium alteri non faciant, quòdq; Proviſum etiam volentem, à ſua Eccleſia ſinè ſcitu & conſenſu Ordinarii non dimittent, corporali ad SS. DEI Evangelia juramento, hanccè Proviſionem tum primùm Actis conſignent.

Ultra

Ultra inscriptionem consvetæ, annui salarii quotæ, quæ florenos centum viginti non debebit excedere, cum suis Provisis super congrua ipsorum sustentatione privatas conventiones ineant, easdem ad scripturas redigant, ut exortâ lite inter illos, Judicium desuper informatum summariè causam decidere valeat.

His præmissis & clarè Proviso demonstratis, si eis acquieverit, & super hoc consenserit, is idem Provisus, Juramentum solitum, cui etiam apponatur clausula, quòd Provisionem sinè scitu tam Ordinarii, quàm sui Provisoris non deseret, præstet & adimpleat.

Ad Provisionem autem relinquendam, priùs à Nobis & Officio Nostro, ex justa & rationabili causa, scripto impressam obtineat facultatem, qui autem secùs fecerit, postquàm super eo fuerit requisitus, sub pœna excommunicationis ad suam Provisionem redire, & mulctam decem marcarum pro Seminario Diœcesano convertendarum, solvere tenebitur.

Debebunt autem Provisi, intuitu suæ Provisionis, munia & officia sua diligenter obire, Provisori in omnibus licitis & honestis parere, eundem cultu debito prosequi, & antequàm ad Beneficium quodcunq; Ecclesiasticum cum Institutione obtentum, promoti fuerint, saltem biennio, circa suam Ecclesiam Provisionalem permanere, nisi necessitas & utilitas Ecclesiarum vacantium aliud postulaverit.

Et quia nonnulli reperiuntur, qui post sui ad Ordinem Presbyteratûs admissionem, quantùmvis Provisi, sive uni Ecclesiæ applicati & alligati, salubriores, per varias Diœceses auras investigant, quærunt & odorant; quasi minùs habeant, nativa suæ Diœcesis frui luce, nisi etiam soles conspiciant peregrinos, cùm tamen nec ibi, fixo pede hæreant maneantquè; Horum insolentiam, quæ & Ecclesiæ & Parochiis est injuriosa, vitamq; Sacris famulantium dehonestat, compescere satagentes: statuimus, ut si quis ejusmodi facinus commiserit, & ab Ecclesia Provisioneq; sua recesserit, & absq; Dimissorialibus Literis, aut speciali licentia Nostra, hinc, ad aliam quamcunq; Diœcesim transire, & ibi divagari præsumpserit, noverit se ipso facto pœnam Excommunicationis incursurum, in qua si post Declarationem celebrare, aut aliquod Ecclesiæ Sacramentum ministrare attentaverit, canonicæ ultioni & gravioribus pœnis sciat se eò ipsò subjacere.

Const. Synod. Ploc Serenissimi Caroli Ferdinandi. eod. tit.

Committimus pariter & mandamus Decanis locorum, ut super fugam dantibus, & loca suarum Provisionum deserentibus, seriò invigilent; ab iis verò, quorum per Parochias, vagum cursitare & circumire contigerit, tanquàm erronem captivari, detineri, & ad Officium instantaneè adhibito etiam brachio Sæculari, remitti volumus & mandamus.

CAPUT

CAPUT XXXVI.

De Testamentis, ultima voluntate Clericorum, & rebus post obitum eorum derelictis.

UT ante languorem medicinam, ita ante diem resolutionis tempestivè domui nostræ disponere, nimirùm animam quidem, ut eam Salvatori nostro tanquam immaculatam hostiam offeramus, Sacramentis & piis operibus præmunire, bona item, & quæ nobis ex Divinæ Providentiæ largitate sunt concredita, fideliter ad normam Servi Evangelici dispensare, Sacro Divini Pneumatis oraculo admonemur. Quapropter convenit universis, ut horam & diem mortis suæ prævenientes, adhibeant media, per quæ, bona eorum ruinam effugiant, & voluntas ipsorum, quam circa sua temporalia cupiunt adimpleri, fiat manifesta. Adeòq;

Ægrotante Parocho urbano vel rurali, mox eum vicinior visitet, ac ei omnem suam operam exhibeat, & si graviter decumbat, Sacramenta tam Eucharistiæ, quàm extremæ Unctionis ei administret, totoq; ægritudinis tempore peculiarem circa illum solicitudinem gerat & habeat; idemq; (si Sacerdotem vel Vicarium non habuerit) vices ægrotantis suppleat, donec saluti restituatur,

tur, vel eo decedente, Ecclesiæ vacanti Oeconomus à Nobis deputetur.

Persvadeat præterea eidem ægrotanti, ut dispositionem bonorum temporalium quantocyùs faciat, qualiter eadem dispartiri velit, exponat, eoq; fine ultimam voluntatem suam in scripturam redigat: ut autem evitetur perplexitas & dubietas testamentorum, Volumus: ut Clerici Testatores ad sua Testamenta duos Sacerdotes, si fieri poterit, vel iis deficientibus, alios probos viros, per quos possit de ipsorum voluntate constare advocent, Testamentumq; à se subscriptum, ab iisdem Testibus subscribi & consignari facient.

Executores Testamenti, ac ultimæ voluntatis suæ, viros probos ac conspicuos, non autem lucri cupidos, avaros, aut de cupiditatis vitio suspectos invitent, ac per Testamentum nominent ac deputent;quibus minimè deputatis, nullitatis vitio Testamenta subjaceant,ac ad dispositionem Nostram bona quævis derelicta devolvi debere jam pridem statuerunt Const: Synod: Provinc: lib. 3. de Testament.

Executores per Testamentum rogati & deputati, in dispositionem bonorum Defuncti, se nullatenùs intromittant, nisi priùs inventarium derelictorum, per se & fide dignos Testes subscriptum confecerint, approbationemquè illius à Nobis vel Officio Nostro procuraverint, vigilantiæ erit Decanorum, ne de rebus ad inventari

um

um Ecclesiæ spectantibus, Beneficiati disponant, sed res Oeconomicæ inviolatæ, cum aliquo semper augmento consignentur successori, quas circa introductionem Beneficiati connotabit, unumq; exemplar penes Ecclesiam, aliud in Actis suis Decanalibus, tertium ad Officium Nostrum remittet.

Cavemus etiam, ne Testator circa conscriptionem Testamenti, rationem Seminarii Diœcesani, sui Archidiaconatûs, prætereat; verùm aliquid, in rem ipsius, sive ex bonis mobilibus, sive ex pecunia designet ac disponat; aliàs si ejusmodi Testamentum, ex legatis, pro Seminario non continebit aliquid ordinatum, circa illius approbationem, ut certa portio de peculio Testatoris pro Seminario detrahatur, & illi applicetur, statuimus & perpetuò ordinamus.

Hortamur præterea, ne inordinato affectu circa dispositionem bonorum, erga Parentes & Consanguineos ducantur; hoc enim particulariter cautum est, ne res Ecclesiasticas, aut ex redditibus Ecclesiæ coacervatas, Consanguineis distribuant, cùm vana vivorum gaudia sæpè transeunt in supplicia mortuorum.

Volumus etiam, & hac perpetua Sanctione declaramus, ut circa approbationem Testamentorum, ratio pauperum Legatariorum habeatur, nec quidquam ex eorum portione, & præsertim ex legato relicto, pro pauperibus studiosis in ulteriori doctrina educandis, pro ex-

dotandis puellis, ſpecioſo titulo approbationis detrahatur.

Quòdſi verò aliquem inteſtatum decedere contigerit, ex bonis illius derelictis, abſolutâ ſepulturâ, debitis perſolutis, familiâ, quæ inſerviebat, expeditâ, conſolatione ſanguine junctis, ut pauperibus præſtita, fundato anniverſario, parteq; pro fabrica Eccleſiæ, cui inſerviebat, deſignatâ, reliquum arbitrio Noſtro, in pios uſus reſervamus diſpenſandum.

Ad tollendam autem deteſtabilem in omnibus cupiditatem & avaritiam, ſi quis manus ſuas, rebus poſt inteſtatum Clericum derelictis, contaminare præſumpſerit, bona illius occupaverit, vel ipſo adhuc vivente accepta non denuntiaverit, eum ultra excommunica-
Conſt. Synod. l. 4. tit. de Raptor. tionem latæ Sententiæ per Synodum Provincialem promulgatam, ad pœnas alias, etiam reſtitutionis in duplo, de ipſo ſumendas, decernimus ab Inſtigatore Officij adcitandum.

Ne autem res poſt Defunctos Clericos derelictæ depereant, & rapinæ exponantur, ſi conditum ſit Teſtamentum, Executores, ſi verò quiſpiam inteſtatus deceſſerit, Decanus loci acceptâ notitiâ indilatè & ſinè omni procraſtinatione, inventarium derelictorum fideliter, in præſentia Teſtium, nil ſibi appropriando, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, conficiat; eadem derelicta, proviſa omni ſecuritate, in Domo

mo Plebanali vel Ecclesia consignet & obsigillet, de morte Beneficiati Officio deferat, inventarium manu suâ & Testium subscriptum transmittat, & super iis, quæ necessaria judicaverit, informet.

Executionem Testamentorum, ut legata legatariis reddantur, intra annum, à die approbationis prorogari nullatenus volumus, executione verò peracta, nulla expectata Citatione, calculum Nobis sive Officio Executores exhibere, erunt obligati & adstricti.

CAPUT XXXVII.
De Regularibus.

Regulares omnes cujuscunq; Ordinis & instituti in hac Diœcesi nostra fundatos, sicut peramanter tanquàm strenuos in Vinea Christi cooperatores, & conspicuum Ecclesiæ DEI ornamentum, paterno affectu complectimur, ita pariter quòd eorum Privilegia, Jura, ac immunitates illis, à Sancta Sede Apostolica, Summisquè Pontificibus concessa & collata, velimus conservare, protestamur; cupientes tamen, ut & Nostra Jura, contemplatione Religiosarum Personarum, Sacris Conciliis, Statutis Patrum, Canonicisq; legibus ordinata, in viridi semper observantia teneantur, & in iis, in quibus Authoritati Nostræ vel tanquàm Ordinariæ, vel tan-

quam Delegati Apostolici subjecti sunt, omnem obedientiā & reverentiā, Nobis exhibeant; statuimꝰ; & quidem:

I. Quandoquidem Regulares juxta Conc: Trid: Sess: 23. de Reform: c. 15. non possunt audire Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, nisi fuerint ab Episcopo approbati; ideò omnibus Religiosis cujuscunq; Ordinis, instituti, etiam Soc: JESU districtè præcipimus, ut nullus in Diœcesi nostra sub nullitate absolutionis Confessiones excipere audeat, nisi fuerit à Nobis vel Officio Nostro ad id approbatus.

II. Cùm juxta idem Conc: Trid. Sess: 5. de Reform: c. 2. & Sess: 24. itidem de Reform: c. 4 expresse constitutum sit, ut nullus Regularis, etiam in propria Ecclesia prædicare audeat, nisi ab Episcopo benedictionem priùs petierit, in aliis verò Ecclesiis, quæ sui ordinis non sunt, præter benedictionem, etiam licentiam prædicandi obtinere debeat. Ideò ut hæc Decreta SS. Concil: Trident: observentur, seriò omnes requirimus, sciantq; se, si obedire neglexerint, pœnis à Jure Statutis fore
1. Cor. 2. puniendos. Iidem Concionatores non in *persvasibilibus*
2. Cor 4. *humanæ Sapientiæ verbis*; aut *adulterantes Verbum DEI*, aut vanam profanæ eloquentiæ sectantes auram, sed in Spiritu & veritate ministerium suum adimplere studeant; ad evitandos pravos mores, vitiaq; evitanda, mandatorum DEI observantiam, Christianasq; virtutes, Auditores suos cohortentur. Si verò (quod tamen per

misericordiam DEI nunquam eventurum speramus) aliquis errores prædicare, vel scandala seminare in populo repertus fuerit, talis sciat sibi officium prædicationis juxta dispositionem Conc: Trid: interdicendum fore.

III. Regulares extra Monasterium degentes & delinquentes, juxta ejusdem Concilii Sess: 6. de Reform: c. 3. ab Episcopo tanquàm à Sedis Apostolicæ Delegato puniri possunt. Qui verò intra Claustrum degunt, sed extra Claustrum delinquunt, juxta dispositionem ejusdem Conc: Sess: 25. de Reg. à suo Superiore proprio, ad instantiam Episcopi, & intra tempus ab eodem præfigendum, severè puniantur, ac de punitione idem Superior Episcopum certiorem facere debet, aliàs delinquens ab Episcopo puniri potest. His ergo decretis & dispositionibus SS. Conc: Trid: inhærendo, omnes Superiores quocunq; titulo & nomine vocandos, Paternè obsecramus in Domino, ut ita subditos suos in officio contineant, ne unquam ullum scandalum ab ipsis, qui omnis sanctitatis & perfectionis vivum debent esse exemplar, fideli populo detur; Nobisq; omnis occasio, pœnas promeritas contra delinquentes urgendi, aut respectivè ut supra in eosdem extendendi auferatur. Regulares verò extra Claustrum degentes (quod tamen nonnisi legitimis ex causis, & cum licentia suorum Superiorum, facere non debent) bonæ conversationis exem-

 plum

plum omnibus exhibeant, aliàs noverint Nos contra ipſos, juxta datam Nobis facultatem proceſſuros.

IV. Nemo Regularium audeat quenquàm inducere ad ſepulturam eligendam, vel eam electam, non immutandam, ſub pœnis *In C. animarum periculis de ſepult: in 6.* extenſis, neminemq; ipſis, in Eccleſiis ſuis, cum præjudicio Eccleſiarum Parochialium funerare liceat, niſi illos, qui vigore ſepulturæ Majorum ſuorum, ibi ſepeliri debent; vel qui ſibi apud illos ſpontè & expreſsè ſepulturam elegerint, de qua electione vel per Teſtamentum ritè conditum, vel ſaltem per duos teſtes, fide dignos, proprio Parocho ſignificare omninò tenebuntur: corpora Defunctorum etiam illorum, qui apud ipſos ſepeliri debent, non vocato Parocho & ſinè cruce Parochiali levare, & ad Eccleſias ſuas deferre non audeant. Sacroſanctum Viaticum, & Sacramentum Extremæ Unctionis adminiſtrare eisdem non licet ſub pœna excommunicationis in Jure ſtatuta.

V. Quia verò ob electionem ſepulturæ, extra hanc, cui mortuus ſubjectus fuerat, Eccleſiam, paſſim damna Parochi perferunt & tolerant, dum eis fructus, qualis eſſe poterat, ſubtrahitur & aufertur, cùm de Jure Quarta Funeralium ſuis Parochis debeatur, & adversùs eandem Religioſi cujuscunq; Ordinis nulla exceptione ſe tueri poſſunt, eò, quòd ſit Concilio Tridentino, Conſtitutionibus Synodalibus Provincialibus, roborata; ejus itaq;

itaq; solutioni omnes Regulares Sacerdotes, antequàm aliquis ex aliena Parochia venerit tumulandus, volumus esse obnoxios, ita, ut nihil ab eis intuitu funeris, donec ejusmodi Quartam, sive per se, sive per successores Defuncti sinè disceptatione exolverint, attentetur.

VI. Missas in domibus privatis juxta tot Summorum Pontificum, maximè verò s. m. Clementis Papæ XI. 15. Decembris 1763. Decretum, nemini virtute etiam cujuscunq; Privilegii, celebrare liceat, nisi vel indultum Romanum, vel à Sacra Nunciatura à Nobis admissum, vel à Nobis facultas celebrandi concessa fuerit; sed ad hoc, locus separatus, aliis usibus non serviens, decenter ornatus, Authoritate & ex mandato Nostro revisus, & designatus esse debet. Observandæ verò sunt clausulæ & conditiones, in similibus indultis apponi solitæ, tam de Festis solennioribus, in quibus præfata celebratio prohibetur, quàm de numero Missarum absolvendarum, tùm etiam de iis, quibus auditio Missæ in præfatis Oratoriis privatis, ad implendum Præceptum Ecclesiasticum suffragatur.

VII. Osculum patenæ post Missam offeratur nemini, nisi Senatoribus, vel aliis in primis Dignitatibus Regni constitutis, tùm & Collatoribus Ecclesiæ nobilioribus; quod intelligi debet, si propè Altare in quo celebratur, adsint, nam Sacerdoti in habitu Sacro, per Ecclesiam circuire, penitùs indecens est, & hanc de osculo pate-

næ prohibitionem ad quoscunq; Parochos & Presbyteros sæculares Diœcesis nostræ extendi volumus.

VIII. Religiosi dum à suis Superioribus, peregrè mittuntur, obedientiales eorundem Superiorum, tùm & Testimonium de facultate excipiendi Confessiones (supposito quòd ad hoc approbati fuerint) secum deferant, aliàs sciant se à Parochis nec ad celebrationem Missarum, nec ad audiendas Confessiones esse admittendos.

IX. Nemo Regularium etiam in Ecclesiis suis, Indulgentias publicare audeat, nisi eas priùs Nobis, vel Officio Nostro exhibuerit, & easdem publicandi facultatem obtinuerit, quod expresè in Conc: Trid: Sess. 21. c. 9. statutum est. Si quæ verò Indulgentiæ jam expiraverint, iisdem uti non audeat, donec renoventur, vel novæ procurentur.

X. Officium Exorcistatûs nemo, nisi ad hoc expressam in scripto à Nobis vel Officio Nostro habuerit licentiam, exercere audeat. Quibus verò id permissum fuerit, condignè & devotè in Ecclesiis, & non alibi exerceant, precibus orationibus, exorcismis in Rituali Romano præscriptis, ad hoc utantur. Ab aliis verò quæ quandoquè superstitionem redolent, omninò abstineant, præcipuè à balneis, maximè respectu personarum alterius sexûs conficiendis, sub pœnis arbitrariis & privatione in perpetuum concessæ sibi facultatis.

XI. Meminerint etiam omnes Superiores Regulares, ad

ad quos ſpectat ſubditis ſuis Dimiſſoriales pro ordinibus concedere, quòd eas dirigere debeant, ſubditosq; ſuos ad ordinationem mittere, juxta Conſtit: Clementis VIII. 15. *Martij* 1596. latam, ad Epiſcopum Diœceſanum, hoc eſt ad eum, in cujus Diœceſi Monaſterium exiſtit, in quo habitant, qui ordinandi ſunt, niſi fortè Epiſcopus à Diœceſi ſua abeſſet, vel non eſſet habiturus ordinationes, vel Sedes Epiſcopalis vacaret; tunc enim licitum erit præfatos ſubditos ſuos ad quemcunq; Epiſcopum mittere, dummodò ipſi Regulares de induſtria non diſtulerint conceſſionem Dimiſſorialium ad id tempus. Si verò Dimiſſoriales in caſu, ùt ſupra, ad Epiſcopum alium non Diœceſanum dirigantur, in iisdem expreſſè apponatur ratio abſentiæ Epiſcopi Diœceſani, vel ordinationum ab ipſo non habendarum. Quæ omnia præfatus Clemens VIII. ſub privatione Officij, dignitatis, adminiſtrationis, vocis activæ & paſſivæ, & aliis arbitrariis in præfata Conſtitutione decrevit.

XII. Cùm verò ex vi Concilii Tridentini Seſſ: 25.c.11. Perſonæ Regulares, animarum curam exercentes, ſubſint immediatè in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, Jurisdictioni, Viſitationi & Correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi commorantur; idcirco eis, ut obligationes Parochorum ſuprà recenſitas, Sacroſanctè ſervent, aliasq; partes boni Paſtoris & Parochi adimpleant, præcipimus. Nec Pa-

rochos Regulares, apud Ecclesias Parochiales Monasterio unitas, sinè socio manere volumus, prout declaravit S. Cong: Conc: in Bobien: 16. *Martij* 1630. secùs eosdem rigorosam animadversionem, juxta quod à Sacris Canonibus præcipitur, illos non evitaturos declaramus. Et ut Congregationibus Decanalibus bis in anno fieri solitis intersint, stringimus & obligamus Parochos Regulares.

XIII. Præterea rogamus omnes Superiores quorumcunq; Ordinum, ut quandocunq; à Parochis locorum, præcipuè in majoribus solennitatibus, in quibus ipsi Parochi, concurrenti populo satisfacere non possunt, invitati fuerint; ut in excipiendis Confessionibus vel aliis ministeriis adjuvent, id benevolè & prompto animo facere non dedignentur.

CAPUT XXXVIII.

O Pannach Zákonnych y Klasztorach Pánieńskich.

BŁogosłáwieństwo Pasterskie zásyłámy Wam poślubione BOGU przez trzy vota solenne, Dźiewice Chrystusowe. Co zá godność, powágá, y dostoieństwo Stánu wászego iest? łatwo wnośić możećie, żeśćie Oblubienice tego, ktorego gdy kocháćie, niezmázane iesteśćie, ktore-

go

go gdy do łożnicy przydźiećie, czystą y nieskażoną Pánieństwa koronę utrzymáćie. Wszakże co też zá przymiotow, doskonáłośći, uczćiwośći, honoru y známienitośći ten Swięty wasz Oblubieniec po Was potrzebuie, dochodźić káżda może, ktorákolwiek cáłym ku niemu udáła się sercem, szczegulnie stára się oto, áby kochanek iey był zupełnie iey, á ona iego. Przeto Naymilsze Moie, ták wásze kieruyćie myśli y serca, ábyśćie cále y zupełnie w iednym kochanku swoim były zátopione y zánurzone. A że z dyspozycyi náprzod tegoż sámego Oblubieńca Wászego, tudźiesz y Námieśnikow Jego naywyższych Kośćioła Bożego Pásterzow, straż y pilnowánie Dusz wászych Nam iest polecone, przeto Was naypierwey nápominámy z Apostołem: Bądźćie posłuszne Przełożonym Wászym; y lubo Przełożeństwo nád wámi w niektorych mieyscach Nam samym, w niektorych klasztorach wespoł z Zákonnemi Przełożonemi iest Nam powierzone, iednak ták ná obiedwie strony przezorności Nászey oko, rzucać powinniśmy, żeby się cále nic bezpráwnego nigdźie nieználázło. Dlá czego zábiegáiąc wszelkim inkonweniencyom, przez Rány Chrystusowe obliguiemy, ábyśćie te trzy vota, ktoremiśćie się do Boga właśnie iák troistym sznurem przywiązáły, wiernie y nieskáżitelnie obserwowáły. Ubostwo wásze niech będźie bogáte w iednym Bogu; uczćiwość y kwiat Pánieński dla tego szczegulnie, ktory się między liliami, *Hebr. 13*

to iest Duszámi niewinnemi zwykł báwić, záchowány; Posłuszeństwo niech będźie bez przygány, y z wszelkiey woli swoiey iákieykolwiek obnáżone, iedynie tylko ná przełożonych roskaz y skinienie chćiwie obrocone. Ale nieszerząc się przemową generalnie, do partykularnych Obligácyi y konstytucyi Klasztorow przystępuiąc:

I. Ponieważ S. Concilium Trideńtskie pod pogrożką Sądu Bożego y wiecznego przeklęctwa wszystkim Biskupom zleca y przykázuie, áżeby klauzury we wszystkich klásztorach Pánien Zákonnych, nie tylko pod włádzą ich, ále pod direkcyą y Jurisdikcyą Przełożonych Zákonnych zostáiących, doźieráli y przestrzegáli. Dla czego pod klątwą wszelkim Zákonnicom przykázuiemy, żeby żádna Zákonnica nieśmiała zá kláuzurę wyiść bez pozwolenia od Nas álbo Officyała nászego Generálnego, ná Piśmie otrzymánego. Te záś, ktore pod włádzą Przełożonych Zákonnych zostáią, oprocz pozwolenia Nászego, máią też mieć pozwolenie od Przełożonych swoich; ktoreby záś przećiwko temu wykroczyły, rzeczą samą w klątwę wpádáią, ktora sámemu Oycu S. rezerwowána iest. Pod tąż klątwą tákże zákázuiemy, á żeby nikt do klásztoru Pánieńskiego nie tylko z Męszczyzn, ále też z Biáłychgłow wniść nie śmiał, bez tego pozwolenia Nászego, ná Piśmie, iednakże dla Spowiednikow, Doktorow, Cyrulikow, Rzemieślnikow, y innych, ktorych usługa, do klásztoru weyśćia konie-
cznie

cznie potrzebuie, Przełożone Kláſztorne generalną od Nas ná Piśmie otrzymać powinny licencyą, tego pilnie przeſtrzegáiąc, w czym ſumnienie ich ćięſzko obowięzuiemy, ażeby pomienionych oſob do kláſztoru nieprzypuſzczáły, chyba w ten czas, kiedy tego wláſna ieſt potrzeba, y tego też przeſtrzegáiąc, ażeby te oſoby támże ſię nád potrzebę niebáwiły, áni w żádne z Zákonnicami niewdáwały rozmowy.

II. Swieckie Pánny ná ćwiczenie do kláſztoru przyięte bydź niepowinny, ktore ieſzcze ſiedmiu lat niedokończyły; iáko też y te, ktore dwádzieśćia y pięć lat máią w kláſztorze trzymáne bydź niepowinny. Tych záś przyimować niebędą, chyba zá zgodnym klaſztoru konſenſem y Przełożonych pozwoleniem. Wyiśćia z kláſztoru pomienionym Pánnom Swieckim, ná ćwiczeniu zoſtáiącym, Zákonnice żádnym ſpoſobem pozwáláć nie powinny, y ieżeliby raz wyſzły, názad przyięte być niemáią. Przeſtrzegać y tego powinny Przełożone, ażeby te Pánny Swieckie miáły oſobne w klaſztorach mieſzkánie, bez wſzelkiey z Zákonnicámi kommunikácyi.

III. Do ſkromnośći Zákonney náleży do krat nieuczęſzczać, y to bez pozwolenia ſtarſzych, y bez ſłuſzney przyczyny być niepowinno. Przeſtrzegać więc tego będą Przełożone, á żeby u kráty Zákonnice wſzelką záchowáły ſkromność, y tám ſię nád potrzebę z Swieckiemi niezábáwiáły rozmowámi, śmiechow, żár-

 towʒ

tow, nowinek, y tego wſzyſtkiego, cokolwiek przećiwko zákonney być może ſkromnośći, y coby zá ſobą iákie w ludźiach Swieckich poćiągnąć mogło zgorſzenie, pilnie ſię wyſtrzegáiąc. Kráta záwſze zámknięta być powinna, y z otwartą krátą, álbo drzwi kláſztorne otworzywſzy, Zákonnicom rozmáwiać, cále ieſt zákázáno. Młode oſobliwie y niedáwne Profeski bez Sociuſzki do kráty niech niechodzą, ktoráby wſzyſtko widźieć y ſłyſzeć mogła, co ſię u kráty dźieie álbo mowi.

IV. Oprocz Spowiednikow ordynáryinych, ktorzy od Nas oſobliwym ſpoſobem, do tego approbowáni być powinni, dwa álbo trzy rázy do roku extráordynáryiny Spowiednik tákże od Nas, álbo Officyáła náſzego ápprobowány, má być náznáczony, przed ktorym wſzyſtkie Zákonnice ſpowiádać ſię álbo przynámniey onemu prezentować ſię powinny.

V. Kiedy ſię ktora z Swieckich Pánien álbo Wdow, do Zákonu prośi, álbo Probántkę do Profeſſyi przypuśćić będźie trzeba, wprzod niżeli Poſtulantkę do Habitu, Nowicyuſzkę záś do uczynienia Profeſſyi przypuſzczą, Przełożone Kláſztorow Nam podległych máią Nas uwiádomić, ná mieśiąc oſobliwie przed Profeſſyą, ażeby Nowicyuſzka od Nas, álbo ieżelibyśmy ſami tego uczynić niemogli, od kogo z rámienia Náſzego exáminowána y wypytána być mogła.

Concilium Tridentinũ Seſſ. 25. c. 5. de Reg.

VI. Y to też wſzyſtkim do wiádomośći donośiemy, że

że S. Concilium Trideńſkie klątwę wydáło, ná tych wſzyſtkich, iákiegokolwiek ſtánu y kondycyi być mogą, ktorzyby iáką Pánnę álbo Wdowę, álbo iákąkolwiek inną biáłągłowę, poniewolnie do weyśćia do kláſztoru przymuſzali, lub do przyięćia hábitu, lub do uczynienia Profeſſyi. Ktorey to klątwie podpádáią y ći, ktorzy rádą, pomocą do tego pomágáią, tákże y ći, ktorzy wiedząc, że ktora z pomienionych Oſob gwałtem przymuſzona do kláſztoru wchodźi, álbo hábit przyimuie, álbo Profeſſyą czyni, do tego álbo przytomnośćią ſwoią, álbo zezwoleniem, álbo powagą przykłádáią ſię. Taż klątwa od tegoż Concilium wydána ieſt, ná tych wſzyſtkich, ktorzy przećiwnym ſpoſobem bez ſłuſznych rácyi y przyczyny, Biáłogłowie iákiey weyśćia do kláſztoru, przyięćia Hábitu, y uczynienia Profeſſyi przeſzkádzáią.

VII. Ponieważ, iáko toż Concilium Trideńſkie iáwnie deklárowáło, że Zákonnicom, ktore Slub Uboſtwa uczyniły, niegodźi ſię nic włáſnego w oſobnośći trzymać álbo záchowywać, ále wſzyſtko cokolwiek im dáno, álbo darowáno będźie, ná kláſztorną potrzebę obroćić ſię powinno. Dla tego wſzyſtkie Przełożone tego pilnie doźierać powinny, ażeby to uboſtwo Swięte iáko naypilniey y naydoſkonáley záchowáne być mogło, ſtáráiąc ſię wſzelakim ſpoſobem, żeby Zákonnicom ſwoim rżeczy potrzebne prowidowáły, żeby niemiáły okázyey Zákon-

nice

nice pod prætextem potrzeby, w czym przećiwko ubostwu Swiętemu wykroczyć.

CAPUT XXXIX.

De Decanis Foraneis, Obligationibus illorum & Congregationibus Decanalibus.

NOn inane, aut sola nominis ambitione tumens Decanorum munus & Officium est, ad illud Viris probis ac singulari qualitate præditis conferendum etiam scriptura vetus stimulat & invitat inquiens: *Provide autem de omni Plebe Viros potentes, & timentes DEUM, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis Tribunos, & Quinquagenarios & Decanos, qui judicent populum omni tempore, quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò judicent, leviùsq; sit Tibi partito in alios onere.* Quibus verbis manifestissimè instruit, quàm sit honorificentissima atq; decora dignitas, quæ in Decanorum seu Vicariorum Foraneorum Officio continetur. Unde & Archipresbyteri (a) primiq; Presbyteralibus Officiis superintendentes, in Regione, cui præficiuntur regimen Sacerdotum obtinentes (b) Clericalis disciplinæ Inspectores dicuntur. De iis ergo ut & authoritatem suam recognoscant,

Exod. c. 18. v. 21.

(a) *Synod Trevir. A. 1548.*

(b) *Conc. Mediol. 1. p. 2. de Vic. Foran.*

ſcant, & quod eorum incumbit humeris, ſciant, Synodalem hanc Noſtram Conſtitutionem hoc loco apponimus.

Omnes quicunq; à Nobis Decani ſunt conſtituti, aut in futurum deputabuntur, ut libenter hoc officium ſuſcipiant, nec collationi illius reclament, aut reſiſtant, ſub pœna arbitraria admonemus; *Qui enim poteſtati re-* Rom.13.
ſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit. v. 2.

Vitam ſuam ſic inſtituant, ut non ſolùm ſcientiâ, prudentiâ, verùm & bonis moribus, exemplaritate ubivis locorum præluceant, ut ne in minimo quidem audeant deviare; ut enim primum mobile omnes ſecum ſphæras trahit, & rapit, ſic peccantis magnitudo & dignitas, ſequentium habet multitudinem.

Ut autem rectè & plenè ſuum officium obeant, illos circa ſui inſtitutionem ad Decanatum, Juramentum Corporale ſuper tali munere, juxta Rotham & formam Juramenti à Nobis præſcriptam, præſtare debere volumus, & ejusmodi Juramenti formam in Appendice adijcimus. *Numero VIII.* Noverint autem graviſſimam eſſe; quam ſuſcipiunt Decanorum Provinciam, utpotè ad quos totius Collegii diſciplina, mores, cultûs Divini ratio, in omnibus Eccleſiis requiſita, ſpectat & pertinet; adeòq; ſint pii, prudentes, vigilantes, fortes, & ad monendum imperterriti.

Attendant ſeriò & animadvertant, in vitam & mo-

1.Cor.5. ℣. 6. res Cleri universi, ne *fermentum* pessimum, quod *totam massam corrumpit*, reperiatur intra viscera suæ regionis, & aliàs si qui discoli & à vitæ Clericalis Regulis exorbitantes comperti fuerint, arguant, & obsecrent eos in charitate. Quòdsi verò correctio eorum fuerit desperata pro Consilio & medela ad Officium Nostrum recurratur. Præcipuè autem si quis de Clero Decanali, fœminas suspectas domi suæ, aut extra foverit, vel tales, cum forti suspicione, & populi scandalo visitare, in uno curru cum mulieribus discedere, aut tabernas & hospitia ad compotandum vel choreas ducendum adire consveverit, si quis ebrietati deditus frequenter indulserit, si quis supellectilem sacram, præcipuè in auro argentovè, & pretiosiorem (etiam in rem & necessitatem Ecclesiæ suæ) citra expressam, & à Nobis obtentam in scripto facultatem oppignoraverit, aut vendiderit, vel alienaverit, eum vel eos ad Nos Officiumq; Nostrum denuntiare DD. Decani tenebuntur.

Studeant præterea optimè cognoscere ac solicitè percontari, quoties in eorum Decanatu consistentes Presbyteri vel Clerici, Exomologesim peragant? DEOq; per Confessionem peccatorum reconciliari curent.

Sicut autem Decanos & Vicarios Foraneos, in partem solicitudinis Nostræ assumpsimus, & per eos universæ Diœcesis prosperitatem ac pericula contemplamur, ita eosdem speciali reverentiâ ab omnibus volumus

mus honorari. Quapropter quæcunq; ex vi Officii ſui, ſuis in Decanatibus ad mentem Synodi præſentis, aut Sacrorum Canonum præceperint, dummodò id non arroganter & malitiosè faciant, iis omninò à Clero Decanali obtemperandum decernimus.

Habeant etiam omnes & ſinguli Parochi, Commendarii & Vicarii, ac Miniſtri Eccleſiarum univerſi, cointelligentiam & correſpondentiam cum ſuis Decanis, iisq; ſi quid certi, cum gravi offenſa DEI, injuria Eccleſiæ, aut proximi, ſcandaloq; Fidelium aliquis perpetrari ſciverit, non odio Perſonæ, ſed amore juſtitiæ cuncta deferant; ſua & Eccleſiarum incommoda & neceſſitates iis confidenter communicent, Fratrum defectus præſertim graves reportent ac revelent, taliterq; legem Domini, quæ fratrem corripere præcipit, adimplere ſatagant. *Mat. 18. v. 15.*

Quodſi quiſpiam obedientiam ſuo Decano tribuere detrectaverit, aut eum irreverenter habuerit, ac ſi Nobismet ipſis injurius & rebellis, puniatur.

Quia verò reperiuntur nonnulli Parochorum, qui pro Oleis Sacris & Rubricellis tardiſſimè recurrere ſolent, commodum eſſe judicavimus procurationis ejusmodi negotium Decanis locorum committere. Unde quatenùs iidem factâ ſuper hoc, in Congregatione cum Confratribus conferentiâ, eorumq; præmonitione, pro Sacris quidem Oleis, circa Feſtum Paſchæ, Presbyte-

rum ex ſuo Decanatu,pro Rubricellis autem ad initium cujuslibet anni, Curſorem tempeſtivè mittant, illasq; & illa, inter Clerum & Eccleſias ſui Decanatus, ſalva refuſione expenſarum & vialium, diſtribuant. Non habentes Olea Sacra vel Rubricellas pœnâ aliquâ pecuniariâ, exnunc in Congregatione pro neceſſitatibus illius Eccleſiæ, ubi Congregatio fiet, perſolvendâ condemnet, plenè committimus & commendamus.

Modum autem Congregationis Decanalis exercendæ, tam Epiſtola Paſtoralis Macieioviana, quàm Illuſtriſſimi olim ANDREÆ CHRYSOSTOMI ZAŁUSKI Epiſcopi Plocenſis, Prædeceſſoris & Patrui Noſtri Chariſſimi, inſtructio Decanorum omnibus numeris abſoluta, optimo ordine deſcripſit; cùm tamen univerſæ leges, niſi ſæpiùs ſubditorum mentibus inculcentur, in oblivione tumulantur, neceſſarium cenſuimus duntaxat aliqua renovare, &

Imprimis uno ſaltem menſe, literæ Circulares & Encyclicæ ſeu Proceſſus per Eccleſias Decanatûs transmittatur, in eoq; Clero ac Miniſtris Eccleſiarum futura Congregatio Decanalis intimetur, proponanturq; in eodem, tres quæſtiones morales ſeu Caſiſticæ, admonebunturq; eodem Proceſſu, ut quivis Beneficiatus, ſuum circa ea ſenſum, ſcripto uniformiter in philura connotet, non ut tota ſcriptura impleatur, ſed ut poſtea commodè in unum volumen Actorum redigatur, cui con-

connotationi ſinguli nomina & cognomina ſua, ac titulos, expreſſis (non initialibus) literis adijcient.

Præmonebitur etiam in eodem Proceſſu unus ex Parochis ſingulis vicibus alius & alius per turnum, ut ſe pro exhortatione de ſtatu, vocatione, vita, & honeſtate Cleri facienda, præparet, quæ tempore Congregationis dicta, à Decano in Congregatione conſignabitur, & ad Nos Officiumq; Noſtrum transmittetur, exhortationem autem habens, pro illa vice à reſolutionibus Caſuum conſcientiæ liber erit.

In Congregationibus bis in anno celebrandis, ſecundùm antiquum morem, prævio, ſummo mane, Officio Defunctorum & Miſsâ pro Confratribus defunctis, Miſſa demùm Votiva de Spiritu Sancto, ab uno ex Parochis per turnum deſignando celebretur. Contendant autem omnes, ut vel ante Miſſam cantatam, vel ſub tempus ejusdem Miſſæ, Sacrificia ſua, qui voluerint, perficiant, ita ut poſt Miſſam cantatam nullus Sacrificio reperiatur impeditus.

Poſt abſolutum ſolenne Sacrum Miſſæ Sacrificium, Parochus loci, Sæcularibus intimabit, eosdemq; rogabit, ut ab Eccleſia diſcedant, & Miniſtris quoq; Eccleſiæ amotis, clauſis januis ad Seſſionem primam matutinam Congregationis procedatur.

Quam inchoando, Decanus converſus ad Clerum, denuntiabit Congregationem Decanalem incipi & in-

cœptam eſſe, tunc ipſe & omnes ante Altare in genua procumbent, & voce ſonora cantabunt: *Veni Sancte Spiritus &c.* Decano in fine dicente Collectam: *DEUS qui corda &c. Actiones noſtras* &c. deinde ſurgentes capient loca ſua, ad menſam, in medio Chori minoris poſitam, Decanus à dextris, & à ſiniſtris aſſiſtentes, demandabitq; ut inſtructio de ordine & modo Congregationis celebrandæ, per aliquem ex Beneficiatis legatur, finita lectione exhortationem habiturus, accepta Benedictione à Decano, aſcendet gradus Altaris, facietq; ſermonem ad Confratres, quo finito, legentur Quæſtiones Caſiſticæ & earum reſolutiones, quas Decanus ſua reſolutione concludet, ac omnium ſcripta folia, cum punctis & quæſtionibus ad ſe recipiet.

Legentur poſtea capita aliqua Synodi præſentis, ita ut ab eo loco, in quo ceſſatum fuit, in futura Congregatione reaſſumantur. Proceſſus noſtri per Diœceſim publicati, & ſi quid aliquis non intellexerit, vel non eſſe in uſu alicubi adverterit, datur ei facultas lectorem interrumpendi, & quod ſentit, proponendi; alii verò, præſertim Decanus, obſcura dilucidabunt, dubia reſolvent, majora ad Nos remittent, ac deniq; ſe invicem ad exactam omnium obſervantiam cohortabuntur, Notarius verò omnes tam propoſitiones, quàm reſolutiones in Actis connotabit.

Poſt lectionem, ſi jam fuerit hora prandii, omnes relictis

lictis superpelliceis, ibunt ad Ædes Plebanales, ibiq; præmissa benedictione cibum sument, quàm frugalissimè, paucis ferculis contenti; item in bibendo, sobrietatem omnimodam observabunt, si quis in potu vel minimum signum excessûs monstraverit, is à Decano ab Officio & Ordine suspensus declaretur, & insuper pœnâ pecuniariâ mulctetur. Tempore mensæ legatur aliquis liber Spiritualis.

Sumpta refectione, omnes mox surgent à mensa, & facta gratiarum actione conferant se ad Ecclesiam, ita, ut ab egressu ab ea ad regressum, non intercedant, nisi binæ horæ ad summum. Ingressi Ecclesiam reinduti superpelliceis, Vesperas & Completorium omnes recitent, & postea in suis locis sedeant. Decanus verò hoc vel simili modo dicat: vg. *Credo nullum in Vobis esse qui nesciat, quæ ad boni Pastoris Officium & curam animarum fructuosè gerendam spectant. Itaq; siquis vestrum habeat aliquod circa hæc dubium, aut aliud quid specificè communicandum, proferat in medium, ut communicatis consiliis quid in proposito facere expediat, decidamus, vel ad Illustrissimum Dominum Loci Ordinarium deferamus.*

Hoc loco consurget aliquis & dicet: *Scio inter alia Pastoris Officia, præcipuum esse, juvare animas in agone & hora mortis, ac Sacramentis eas præmunire, contra periculosissimam tunc luctam; in mea verò Parochia, aliqui mortui sunt sinè Sacramentis, non meâ culpâ quidem, sed eorum,*

rum, qui mihi de infirmitate periculosa non significârunt. Nam talis est abusus, quòd infirmi nolunt ad se vocari Sacerdotem, vel adeò tardè, dum jam sunt extra sensus; alii diebus Festis vocant, dum est difficile relinquere Ecclesiam; alii Extremam Unctionem penitùs non curant, imò recusant. Peto igitur, quomodò his malis occurrere, & Parochianos meos ad celerem in ægritudine recursum, ad Sacramenta & usum Extremæ Unctionis inducere queam, sæpiùs monui, nihil prodest. Tunc Beneficiatis, qui voluerint, desuper sensum suum proferentibus, Decanus concludet vg. *Non occurrit mihi efficacius medium obviandi huic malo, quàm ut D. Parochus N. & Nos omnes frequenter in concionibus, explicemus damna & pericula decedentium sinè Sacramentis, vel cum intempestivo eorum usu. Item recommendemus ingentes Extremæ Unctionis fructus, non solùm animæ sed & corpori proficuos; si verò nec hoc efficax videtur esse medium, necessarium adhuc fore credo, ut singulis Dominicis & Festis interrogemus ex ambone: an aliquis non infirmetur? ut quicunq; id sciat, sive domesticus, sive vicinus significet Parocho post Missam. Adijciamusq; prohibitum nobis esse aliquid accipiendi etiam spontè oblatum, dum infirmos accedimus cum Sacramentis, ne fortè pauperiores non habentes quidquam in domo ad offerendum Sacerdoti, pudore retrahantur ab eo convocando. Novi etiam aliquos bonos Pastores, qui identidem suam Parochiam nunc has, nunc illas Villas & Domos visitant, ut suas Oves*

quò

quò ad corpus & animam cognoſcant, Nos quoq; deberemus hoc practicare, dum alia nos non premunt negotia; Notarius verò tàm propoſitionem, quàm reſolutionem connotabit. Et ſic in ſimilibus Caſibus circa Baptiſmum, Pœnitentiam, Matrimonium proponet, qui volet.

Deinde interrogabit de gravaminibus, ſiquis habet aliqua, tunc ſentiens ſe læſum & gravatum proferet: v.g. *Parochus iſte, me invito & inconſulto adminiſtrat Sacramenta meis Parochianis, baptizat &c. ſepulturas concedit &c.* Item: *Vicarius meus examen effugere & otiari volens, approbationes elapſo termino impetrare negligit, nec ſatis exemplarem ſe gerit &c.* Alius dicere poterit: *Dominus Collator præſcribere vult tempus Miſſæ, & aliis devotionibus, ægrè fert, quando non expectatur, etiamſi elapſo tempore.* Item *D. N. à multis annis Cenſus ac Decimas retinet, & toties requiſitus reddere non vult.* Super quolibet Puncto fiet annotatio & conſultatio, ſive reſolutio per Notarium conſcribatur.

Expeditis tali modo propoſitionibus, præcipuè inquiret de Presbyterorum vita, moribus, ſcientia, muneri eorum neceſſaria, & approbationis facultate, quoàd Confeſſiones audiendas. An eorum culpâ Divinus in Eccleſia cultus negligatur? an aliqui ſinè Sacramentis deceſſerint, negligentia vel abſentia Parochi interveniente? an ſuppreſſum ſit alicujus Sacerdotis teſtamentum, & per quem? an poſt inteſtatum, aliquid Presbyteri, ſi-

ve Sæculares uſurpaverint? an aliquæ Perſonæ Eccleſiaſticæ inter ſe ſint diſcordes? mutuaq; odia foveant? an alicujus Presbyteri Materfamilias ſit ſcandaloſa? vel rixoſa? multùm dominetur, Dominum ſuum non honoret, veſtes ſupra ſtatum ſuum ſibi comparet? An aliquis Parochus ſuſcepit aliqua onera perpetua Miſſarum ſinè approbatione Officii? advertat quoq; an habeant omnes tonſuram decentem? capillos non nimis longos, veſtes honeſtas, non ſordidas, laceras, collare decens, ſuperpelliceum mundum? videat item Breviarium an bonum, integrum, cum Patronis? Rubricellam, an Diœceſana & Anni currentis? Item literas ordinationis ſaltem pro prima vice, Approbationes ad audiendas Confeſſiones &c. &c. Etſi quem invenerit, ex examine & ſcrutinio cum Confratribus facto, Concubinarium, ebrioſum, vel quomodolibet ſcandaloſum, aut de his probabiliter ſuſpectum, moneat eum publicè coram aliis. V. g. *Intellexi ex teſtimoniis fide dignis, quòd talis Presbyter N. N. ſit vitio ebrietatis addictus, vel de incontinentia ſuſpectus; idcircò eum moneo Authoritate Illuſtriſsimi Domini Loci Ordinarii, ut ab his deſiſtat, aliàs procedetur contra eum juxta Sacros Canones & noviſsima Reformationis Decreta*. Hanc autem monitionem ſpeciatim in Actis connotet, addendo: ſit ne prima? ſecunda? vel tertia? Quam monitionem Decanalem, in cauſis vitæ morum, correctionum pro Canonica, per Judicia Officialium Noſtrorum habere volumus.

De-

Demùm obſervatis iis, quæ inſtructione Decanorum Illuſtriſſimi Anteceſſoris Noſtri, de qua ſupra fit mentio, præſcribuntur, pro Concluſione intonabit Hymnum Ambroſianum: *Te DEUM laudamus*, accenſis in Altari luminibus, cum pulſu Campanarum, & *ad Salvum fac*, benedictione cum Sanctiſſimo Sacramento, omnes à commeſſationibus in illo loco & compotationibus abſtinendo, ad propria redibunt.

Qui verò ad Congregationes Decanales, legitimè non impediti venire neglexerint, Parochi quinq; florenorum, Vicarii duorum, ſubeant mulctam, pro prima vice abſentiæ ſuæ; quæ mulcta cedat pro fabrica Eccleſiæ illius, ubi Congregatio celebrabitur. Pro ſecunda autem vice, ſi abſentes fuerint, ſciant ſe gravioribus ſubijciendos pœnis, & contra tales, actionem Inſtigatori Officii committimus.

In iisdem Congregationibus Decanalibus, fiat diſpoſitio, ne ullus Parochorum audeat ciſtas, dolia, & alias res Parochianorum in Eccleſiis, multominùs proprias, ſignanter ad eſum & potum ſpectantes, etiam in Sacriſtia aſſervare, ſub pœna ſequeſtrationis earundem rerum, & in inſtanti diſtributionis earundem, ad hoſpitalia pauperum per Decanos facienda.

Inter alia in Congregationibus hujusmodi tractanda, meminerint Decani admonere ſuos Parochos, quatenùs unusquisq; inter limites ſuæ Parochiæ, cruces in

viis publicis venerationi Fidelium expositas, & vetustate aut ventorum vi collapsas, effigiem Crucifixi manibus vel capite truncato, vel aliàs deformatam aut inversam præferentes, quæ sunt reparabiles, restaurari; quæ verò putrefactæ & deformes, tolli & comburi curet; novis in earum locum substitutis, ne per hunc memoriæ Passionis Dominicæ neglectum, scandalum inter Judæos & Hæreticos abundet.

CAPUT XL.
De Visitationibus.

Visitationis munus utpote conservandæ restituendæque Ecclesiasticæ disciplinæ remedium efficacissimum, ultra generalem, quam partim in Persona Nostra, partim per Commissarios à Nobis Deputatos peregimus, sacrosanctè ab his ad quos spectat & pertinet, mandamus adimpleri. Hoc autem ut accuratiùs expediatur, Constit: Provinc: provisum est, ut Viri ætate moribusq; graves, ac virtutum Christianarum studiosi, in Officio Archidiaconatûs constituantur, qui statutis temporibus, Ecclesias visitent, & ad Episcopum referant, quæcunq; à se animadversa vel corrigi vel reformari oportere judicaverint. Constituti itaq; seu constituendi deinceps in tali functione, incumbendum sibi sciant, ut

lib. 1. de Offic. Archidiac.

ut munus suum non solùm nomine, sed certis Officij sui partibus, rectè atq; ordine Canonicarum Sanctionum adimpleant, & de triennio in triennium, juxta præscriptum Constitutionum Provin: Ecclesias suorum territoriorum visitent, actaq; hujusmodi suarum Visitationum, intra duos menses, ab actu Visitationis Nobis tradant & consignent. Decani autem, quotannis, Ecclesias suorum Decanatuum visitent, in suis Visitationibus non solùm supellectilem & ornamenta, resq; Sacras Ecclesiarum, sed etiam fructus omnes, fundos, redditus, proventus, possessiones, bonaq; omnia, Jura, Privilegia, Dotes Beneficiorum, inscriptiones summarum, Pagosq; Jure Parochiarum cuilibet Ecclesiæ adscriptos, diligenter connotet; maximè autem de vita & conversatione Sacerdotum, ac de scandalis & excessibus notoriis, inter Parochianos utriusq; sexûs inquirant, & defectus omnes tam in Spiritualibus, quàm temporalibus rebus accuratè & exactè describant, omni anno, Visitationes suas ad Nos Officiumq; Nostrum remittant, & super omnibus præmissis informent.

CAPUT XLI.

De Excommunicatione.

CUm Excommunicatio ex veteri Ecclesiæ DEI & SS. Canonum instituto, ad medicinam ferendam, non

ad mortem inferendam instituta sit; expedit omninò, ut in ferendis Excommunicationibus magna cautela adhibeatur, cùm uti Decreta SS. Conc: Trident: monent, experientia ipsa docet, Excommunicationem vilescere & contemni, si minùs circumspectè adhibeatur. Proinde Officiales Nostros cautè procedere volumus, ut nonnisi tunc ad Excommunicationis gladium recurrant, cùm res aliter obtineri non potest.

Cùm autem plerosq; fideles ex ignorantia Juris, in contemptum potestatis Ecclesiasticæ & Censurarum, non sinè culpa mortali labi contingat, idcircò à Parochis & Regularibus in Concionibus, aut quoties commoda occasio sese obtulerit, admoneri populum volumus, ut ab Excommunicatione à Jure vel ab homine lata, pœnarum omnium maxima sibi metuant, illamq; dici ac haberi in Ecclesia DEI, pro gladio Spirituali, relicto à Christo Domino, justitiæ ac disciplinæ Magistro; Proindeq; cùm quis ob delictum & culpam lethalem contumax aut rebellis, à Capite ipso nostro, JESU Christo, cujus Corporis mystici membra sumus, uti pars mortua præcisus fuerit, illum è vestigio diabolicæ tradi potestati, deinde suffragiis Ecclesiæ communibus, Sacramentorum participatione activa & passiva, Sacrificiorum ac omnium Ecclesiæ universæ officiorum, meritorumq; fructu, habilitate ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda, quandoq; retinenda, actionum omnium Judici-

dici-

dicialium facultate, Civilis vitæ, ac conversationis humanæ societate privari, non alio autem fine & intentione Ecclesiæ, quàm ut resurgat à peccato & salvus fiat, & in medicinam animarum adhiberi.

Præcipimus præterea Parochis ac Regularibus: ut populum doceant ob hanc potissimùm causam, excommunicatos è suggestu denuntiari, vel ad valvas Ecclesiarum publicari, ut ab hominibus utriusq; sexûs fidelibus evitentur, ne communicantes cum excommunicato mortaliter peccent, & incurrant Excommunicationem minorem.

Clerici demùm Excommunicati & declarati, vel ab Officio suspensi, si ministrare ausi fuerint, sciant se pœnam depositionis ab Officiis ac Beneficiis incurrere, infames detestabilesq; esse, nec illis spem ad Beneficia Ecclesiastica restitutionis superesse, nisi Sedis Apostolicæ gratiam, cui soli facultas dispensandi ea in re est reservata, per condignam pœnitentiam obtinuerint.

CAPUT XLII.

De Causis Criminalibus per Procuratorem promovendis.

DEcet Ordinem Sacerdotalem, modestiæ & tranquillitatis studium; hinc ut à litibus multiplicandis

dis quisq; sibi temperet, quantùm fieri potest, præsenti Synodo Personas Ecclesiasticas obligamus. Quia tamen iniquitas & malitia hominum eò usq; devenit, quòd in rebus Ecclesiæ alienatio reputatur sagacitas; rapina, probitas; & violentia, fortitudo; cupientes hanc audaciam reprimere, & invasoribus in patrimonium Christi fræna ponere, felicis recordationis Gregorii XIII. Pontificis Maximi Clero Diœcesis Regni Poloniæ Breve, ad Causas Criminales per Procuratores promovendas indultum, ut omnibus innotescat, de verbo ad Verbum in Appendice inseri mandavimus *Num*: *IX*.

CAPUT XLIII.
De Conservatoribus.

REassummendo Decreta in Synodis Diœcesanis Plocensibus tam per Illustrissimum olim Stanislaum Łubieński de Anno 1632. quàm per Serenissimum Principem Carolum Ferdinandum, Episcopos Plocenses de Anno 1643. de Conservatoribus lata, siquidem continuâ edocti experientiâ observavimus, qualiter Sæculares cum Regularibus lites & controversias exortas in Judiciis Ordinariis prosequi, & Justitiam in Causis suis consequi nequeunt, sed ad altiora subsellia evocantur, ac propterea dispendiis fatigati, etiam Causas justas desere-

ſerere coguntur, ob exemptiones per Regulares ſæpenumerò indebitè obtruſas; Proinde cùm juxta Conſtit: Gregorii XV. in Synodo Provinciali receptam & publicatam, Regulares ad eligendos Conſervatores ſuos, non obſtantibus quibusvis Privilegiis teneantur, (aliàs Jurisdictioni Ordinariæ ſubjaceant) ideo eosdem ſeriò monemus, ut dictos Conſervatores eligant, aliàs à Jurisdictione Noſtra Ordinaria nullo modo ſe eximi poſſe præſenti Conſtitutione declaramus. Nomina verò Electorum ad Acta Noſtra quàm primùm notificent, ut eorum notitiam illi, quorum intereſt, habere poſſint.

CAPUT XLIV.

De Taxa Fori Spiritualis.

CUm in Eccleſiaſtico Tribunali *lex Domini immaculata* reddens unicuiq; quod ſuum eſt, quosvis Operarios deſervita fraudari mercede, & poſt longam cauſarum audientiam jejunos dimittere nolit, & minimè ſinat; ideo ne & partes nimiis graventur exactionibus, aut aliquando vexatione ſe gravari querulentur, ſpectatis utriusq; extremi circumſtantiis, & matura deliberatione ponderatis, Proceſſus & Inſtrumenta quævis, ſeu mercedem pro iisdem, ad certam & determinatam quantitatem reduximus, ſequentemq; in moneta currente præſcripſimus taxam. *Pſal. 18. v. 8.*

	Flor:	Gr:
Abſolutio in totum à Cenſuris - - -	8.	
Aggravatio - - - - - -	3.	
Areſtum unà cum adcitatione - - -	3.	
Areſti relaxatio - - - - - -	2.	15.
Audientia Juramenti in Cancellaria, ejusq; expleti teſtimonium - - -	1.	
Appellationis Acticatio - -	2.	15.
Citatio Simplex - - - - -	1.	
Commenda alicujus Eccleſiæ - -	3.	
Commiſſio pro Inquiſitione - -	3.	24
Decretum Excommunicationis in Contumaciam latum	2.	15.
Declaratoriæ Excommunicationis, cum inſertis tribus monitionibus Canonicis - -	4.	
Decretum Interlocutorium - -	2.	
Decretum ex Partium Controverſiis - -	8.	
Decretum cum inſerto toto Proceſſu omnium Inſtantiarum, à qualibet philura 30. rigarum in qualibet parte - - -	1.	
Decretum in Cauſa Jurispatronatûs - -	36.	
Decretum in Cauſa Separationis, Divortij habito tamen reſpectu Perſonarum -	40.	
Erectio à quolibet mille - -	45.	
Inſcriptio Cauſæ ad Regeſtrum - - -		12.
Inſtrumentum Appellationis - - - -	3.	
Interdictum, illiusq; relàxatio pro quolibet Inſtrumento - -	4.	
Inhibitio ejusq; Relaxatio, pro quolibet Inſtrumento -	2.	15.
Inſcriptio Proviſionis cum ejus tranſſumpto -	3.	24
Inſtitutio ad Beneficium tenue - -	15.	
ad Beneficium pinguius - -	40.	
Indultum celebrandi in Eccleſiis non conſecratis -	3.	
In Oratoriis privatis - -	15.	
Diebus vetitis veſcendi carnibus - -	3.	

Lite-

	Flor:	Gr:
Literæ Cridæ ad instituendum - - -	3.	
Monitorium simplex - -	1.	15.
non viso robore - -	3.	
Mandatum Executivum - -	5.	
Procuræ - -	2.	16.
Oblata quorumcunq; Documentorum à qualibet philura - -	1.	
Pro examine cujuslibet Testis -	3.	
Pro Formatis seu Testimonialibus Ordinum - -	1.	8.
Pro Dimissorialibus cum reditu -	4.	
sine reditu - -	8.	
Pro confirmatione seu Approbatione Testamentorum à Centum - -	2.	
Pro sublevatione - -	3.	24.
Resignatio Beneficij - - -	6.	
Suspensio ab Officio & Beneficio - - - - -	3.	

Reliqua Instrumenta ad proportionem præmissorum taxabuntur, emergentium verò hac super re perplexitatum, declarationem Officio Nostro plenariè committimus.

CAPUT XLV.

De Causis Pauperum Sacerdotum.

LEgimus in Vate coronato, quòd sit *jucundus homo, qui miseretur & commodat.* Sanè si cujus, certè Spiritualium Personarum, Ministrorum DEI injuriæ, *Ps. 111. v. 5.*

damna ac neceſſitates debent Nos, ad miſericordiam permovere. Unde cùm paſſim multorum Parochorum querela, aures Noſtras verberet, quòd tametſi per Dominos ac Poſſeſſores Bonorum in Decimarum extraditione, aliis rebus, & bonis ac Proventibus Eccleſiaſticis ſunt injuriati, propter tenuitatem ac inopiam ſuam jure cum injuriatoribus ſuis experiri non valeant, ejusmodi querimoniam ferre non valentes, hac perpetua Synodali Conſtitutione declaramus,mandamusq;ut quicunq; Sacerdotum, Parochorum & Curatorum injuriatus, & in tali neceſſitate conſtitutus fuerit, dummodò ei veritas ſuffragetur, nec ementita & efficta paupertate ſe tueatur, illius cauſa gratis,quò ad omnes Juris gradus, per Inſtigatorem Officii promoveatur, Citationesq; & alia ipſius negotii munimini ſervientia Inſtrumenta, pariter ſinè ulla mercede ac ſalario, (niſi fortè ipſemet aliquid obtulerit) ex Cancellaria Noſtra extradantur, imò ejusdem injuriati Parochi expenſis occurrendo, etiam ad ſimplicem ejusdem delationem ac querelam, Volumus ipſius cauſam per Officium promoveri, & injuriam vindicari. Si tamen aliqui (Conſt: Synod: lib: 1. fol: 93.) dum poſſunt vindicare injurias, ſuas, diſſimulant, talibus pœna ordinaria, quæ eſt contra alienatores aſſignata, infligatur.

CAPUT

CAPUT XLVI.

Praxim expediendæ Inquisitionis & Testium examinis declarans.

CUm in Jure magna sit vis Testium, & per eos, efficacissima, litesq; planè dirimens habeatur probatio, præsertim, si eorum examen legitimè reperiatur expeditum; ideo ne in hujusmodi Commissionibus, & nomen æstimatiovè Commissariorum vapulet, & Partes gravem, ob illorum imperitiam, sumptuum patiantur jacturam, litesq; per consequens, propter iteratas inquisitiones, immortales reddantur, omnibus & singulis ad præmissum Officium designatis, sequentes Regulas proponendas decernimus, & eas manuteneri mandamus.

Exhibitum sibi authenticum legitimi Superioris Instrumentum accipiens Commissarius, semel & iterum illud relegere debet, ut probè intelligat, à quo? ad cujus instantiam? contra quem? in qua causa committitur negotium? debet enim servare expressam mandati formam, quia aliàs actus foret nullus. *C. cùm dilecta.* 22. *de rescrip: Soëstus in l.* 1. *decretal: tit:* 29. *n.* 21.

Antequàm ad locum expediendæ inquisitionis sese contulerit, præmittet tempestivè literas innotescentia-

les; ad videndum & audiendum, in tali loco & termino, pro parte Actoris, vel Rei, Testes recipi,& jurare in hac Forma:

Oznaymuiemy tym nászym obwieszczeniem, komuby o tym wiedźieć náleżáło, á miánowićie N. N. z iedney strony, y N. N. z drugiey; iż Jáśnie Wielmożny Jmść. Xiadz Biskup Płocki (si directè à Nobis) vel *Urząd konsystorski* (si per Decretum Officialis Nostri emanavit Commissio) *w Sprawie N. N. o Rzecz N. N. z Aktoratu pomienionego N. N. toczącey się* (& è contrà si est mutuus Actoratus) *roskazał nam odprawić inkwizycyą. Tedy Ja N.* vel *my N. N. naznáczeni Kommissarze temu Aktowi dźień N. mieśiąca N. Roku teráźnieyszego ná godźinę N. z rána, ná mieyscu N. náznáczámy, ná ktorym terminie áby Obie strony ták powodowa, iáko zápozwána cum Interrogatoriis suis & articulis ad videndum & audiendum Testes recipi & jurare: Testes verò ad deponendum secundùm Articulos & Interrogatoria prævio Juramento, personaliter, legitimè ac peremptoriè compareant, tym Naszym Listem zápozywámy. Dáno &c.*

Literas hujusmodi debet Partibus insinuare, & Copias ad valvas Ecclesiæ unius, vel plurium, prout res postulat, affigere, Clericus aut aliquis Minister Ecclesiæ, qui nomen, cognomen, Officium, & quòd literas hujusmodi legitimè sit exequutus, scribat in iisdem Innotescentialibus.

Ad-

Advertat Commissarius, ad evitandos scrupulos, ut terminus pro Juramentis Testium designetur Die Juridica, nimirùm Feriâ secundâ, quartâ aut sextâ. Examina verò post præstita Juramenta, semper continuari possunt etiam die feriata. *Janidk.* *p.* 116.

Vigore Innotescentialium, in loco & termino, legitimè constitutus, si commodè fieri potest, Missam de SPIRITU SANCTO celebret, vel audiat, unà cum Partibus & Testibus, petendo SPIRITUM SANCTUM, ut Actui imminenti gratiâ suâ assistere dignetur: aliàs absq; Missa, tempore tamen matutino (propter Juramenta à jejunis præstanda) in præsentia Partium fundet Jurisdictionem, exhibitione & lectione Instrumenti Authentici, & in ejus fundamento, pro termino hodierno editarum, & legitimæ executioni mandatarum literarum Innotescentialium.

Fundata Jurisdictione, annotet Testes præsentes Partis actoreæ primò; tùm Citatæ; ac partium contra eos; & dicta eorum, protestationes & exceptiones in hac vel simili Forma:

Coram Me vel *Nobis Commissariis, vigore Innotescentialium legitimæ executioni mandatarum, in loco & termino hodierno congregatis, post fundatam Iurisdictionem, in fundamento Decreti* vel *mandati &c. &c. comparentes personaliter,* vel *per legitimum mandatarium, cum mandato Procuræ, Partes induxerunt Testes, Actorea N. N. N. ad proban-*

bandum; Citata N. N. N ad evadendum ſibi objecta; quos Ego vel *Nos ſalvis Proteſtationibus & exceptionibus Partium, contra eos, & dicta eorum, ad Iuramentum admiſimus in hac vg. Forma.*

FORMA JURAMENTI.

JA N. N. przyſięgam Pánu Bogu Wſzechmogącemu, w Troycy S. Iedynemu, ná tym: Iż o co będę pytány ná tey inkwizycyi, w Spráwie N. N. Aktora N. N. z Pozwánym N. N. o rzecz N. N. toczącey ſię; tedy mam prawdę powiádać, niemam prawdy w niczym utáić, á to dla żádnych reſpektow, przyiáźni, nie zápátruiac ſię ná żadne dáry lub upominki, od ktoreykolwiek ſtrony; y ná tym: iáko nie ieſtem námowiony, nieproſzony, informowány, zkorumpowány, lecz co wiem, y iáko wiem w tey ſpráwie, ták zeznam podług Boga, y Swiętey ſpráwiedliwośći, niwczym ſumnienia mego niezáwodząc; náczym iáko ſpráwiedliwie przyſięgam, ták mi BOZE dopomoż.

Videat porro Commiſſarius, an utraq; pars ſit præſens præſtitioni Juramenti? nam ſinè præſentia Partis, Juramentum & actus totus nihil valet, Teſtimonii enim eſſentia in Juramento, præſente eo, contra quem Teſtes inducuntur, præſtando conſiſtit. *L. jusjurandi. C. de Teſt.* niſi fortè altera Pars, legitimè Citata, venire pro termino neglexerit; quo caſu eam pro contumace de-

declarabit, ac in ejus contumaciam poterit audire Juramenta Testium. *C. 2. ubi Abb. tit. eod.* Hoc tamen sciendum, quòdsi negotium, de quo fit Inquisitio, favorem Partium principaliter respiciat, tunc iis consentientibus, Juramentum remitti potest, & eo casu Testes sinè Juramento, sub fide tamen, honore, & conscientia deponere possunt. *per text. in C. tuis. quæst. 39. & ibi Gl. in v. remittatur. de Testibus* quod locum non habet in Criminalibus, & ubi vertitur interesse Gloriæ DEI, boni Ecclesiarum, Communitatis &c. Item de valore Matrimonii, ac ubi proceditur viâ Inquisitionis ad cognoscenda delicta, & similibus, in quibus depositio Testium absq; Juramento nulla est.

Janiùs p. 115. n. 12.

Lud. Engel. l. 1. tit. 20. & 21. n. 42.

Quòdsi Pars comparens protestatur, contra actum Commissionis, contra Testes, & dicta eorum, nolitq; auscultare Juramenta Testium: Commissarius describet Ipsius Protestationem in Actis, ad Examen nihilominùs procedet.

Quòdsi infirmitatem aut aliam legalitatem justam opponet; propter quam ad audienda Juramenta Testium non poterit adesse; detur Terminus ad comparendum, vel saltem ad Procuratorem mittendum, cum mandato Procuræ: sciat tamen Pars legalitatem interponens, eam, suo tempore, Juramento coram Officio comprobari, aliàs ad damna alteri Parti causata restituenda teneri.

De numero Testium, sciat Commissarius, sufficere eos in omni Causa duos, aut tres, dummodò sint omni exceptione majores ad plenam probationem; si tamen plures, Partes vellent inducere, eos non repellat, nisi numerum duodenarium excederent; contra enim effrænatam Testium multitudinem Jura clamant: *C. in omni. C. licet. de Test. & L. ubi numerus ff. eod.* hinc ad summum septem digniores, si una Pars seligeret, altera totidem in contra, ulteriori verò Testium productioni renuntiarent, optimum esset, nisi magnitudo Causæ aliud svaserit.

Janich. p. 123.

Si tamen queruletur Pars, Testes suos non venire, extradat contra eos Citationes, imò monitiones, & annotet in Actis diligentiam Partis, in iis producendis, dabitur enim Ipsi campus postea eosdem adcitandi, & producendi coram Officio, aliàs si resignabit eorum productioni, amplius eorum productio non concedetur.

Juramenta hujusmodi præstantur à Sæcularibus genuflexis coram Imagine Crucifixi, à Spiritualibus ad S. DEI Evangelium.

Præstitis Juramentis Pars, contra quam Testes producuntur, debet dare Interrogatoria Judici aut Commissario; non Parti, quæ tamen si petita dare recusaverit, Commissarius Ipse debet ea formare, positis ob oculos articulis Causæ, ex libello, Protestatione aliisq; deductis in Judicium, *Lud. Engel. ubi supra n.* 46. aliter enim con-

fecta nihil valent. Interrogatoria hæc scribat de verbo ad verbum in Actu Commissionis hoc modo: *Post Juramenta produxit Actor articulos, Citatus Interrogatoria, in tenore sequenti:* Et scribat hujusmodi Interrogatoria. Meliùs tamen Partes facient, si Interrogatoria pro Actu Commissionis priùs in Judicio producta, & manu Judicis vel Notarii subscripta prompta & parata Commissariis exhibeant.

His habitis removeantur Partes & arbitri, ac instituatur examen singulorum Testium seorsivè, & primò examinabuntur Testes ex parte Actorea, tùm à Parte Citata inducti.

Testi inducto, proponat Examinator, quàm periculosum sit dicere falsum testimonium, & quòd falsus Testis, tribus sit obnoxius: DEO, cujus contemnit præsentiam; Judici, quem fallit mentiendo; Parti, quam Testimonio falso lædit. Uti habetur C. 1. *de crimin: falsi:* moneatq; ut saluti animæ suæ consulat deponendo.

Testem simplicem doceat primò mysteria fidei, juramentiquè gravitatem, tùm eum ad Juramentum admittat.

Si duo sint Commissarii, unus inquirat, alter notet responsiones Testium. Et quidem primò singulorum scribat nomen, cognomen, officium, ætatem, distantiam loci, frequentationem Sacramentorum. V.g. Quando confessus, communicavit &c.

Magnum Judici præstaret favorem, si adhuc quæreret Testem: *Jeśli się znośił z innemi świádkámi? abo ieśli go náuczono? y kto go náuczał? iáko ma odpowiádać? ktorey stronie lepiey sprzyia? czy niechce świádczyć z nienáwiśći ku Osobie? czy niema swego interessu do tey sprawy? kto go prośił? czy wźiał zá to iáki upominek &c.*

His annotatis exponet Testi primum Articulum interrogando: *quidnam sciat de eo? & unde sciat? an* ex visu? auditu? *quisnam Ipsi narravit? quo tempore? quo loco hoc vidit? vel audivit?* Si ex auditu: quæratur, *à quo audivit? gravisnè erat Persona? an levis? & illa, unde novit?* item *an sciat benè? an tantùm credit & arbitratur?* Sic peracto singularum circumstantiarum primi articuli examine, describet totum iis verbis, & idiomate, quibus & quo respondit Testis, unà cum rationibus & probationibus à Teste depositis, & prælegent Testi descripta: nùm ita se res habeat? nec ne? potest enim in continenti, Testis se corrigere, non autem ex intervallo, nimirùm post dimissionem ex examine, nisi fortè dicat se errâsse in prima depositione, tunc enim probato errore poterit admitti, eritq; depositio illius ultima vera, prima falsa, uti habetur *in C. 7. de Test. cogendis. Soćśius in lib. 2. tit. 20. n. 41.*

Examinato primo articulo, examinet secundum eodem modo, tùm tertium, & alios, usq; ad finem, annotando *in terminis* Testium responsiones, non autem *affirmativè, negativè*, cum hæc faciant difficultatem, maximè si articulus habeat aliquot puncta.

Examine completo, imponat Testi silentium, ne dicat de his, super quibus erat examinatus, ut caveatur aliorum Testium subordinatio, & expediatur. Testis alius introductus examinetur eodem modo, & scribantur verba Ipsius propria, quæ etsi eundem sensum habuerint cum primo Teste, non scribatur tamen taliter: *Ipse Testis respondit ad primum vel secundum, sicut primus*, nam ex tali scriptura argueretur Testis de condictamine, & sic posset reprobari à Judice.

Testis (idem dicendum de Commissario) non debet quidem accipere munera, ut se favorabilem uni exhibeat Parti, præ alia; tenentur tamen Partes, tam Testes de longinquo vocatos, quàm Commissarium propriis sustentare expensis; & tam Testi, si uno alterove die, inmoretur ob hanc causam, quàm Commissario pro rato temporis & laboris, præter sustentationem, justam providere mercedem, nec hoc dicitur Testium aut Commissariorum corruptio, cùm iis acceptis, Commissarius quod æquum scribere, & Testis deponere etiam contra suum teneatur Provisorem, nec pro eo indignationis remaneat locus.

Prædictis ita conscriptis concludet Commissarius Inquisitionem in hac vel simili forma: *Quæ omnia in occluso Rotulo Pultoviam vg. remittendo, ei aperiendo diem N. Mensis N. Anni currentis coram N. N. præfixi: in quo termino ut Pars utraq; ad videndum & audiendum Rotulum*

 aperi-

aperiri, Testimonia publicari, in principali negotio definitivam ferri, personaliter, legitimè ac peremptoriè compareret, authoritate mihi hac super re tradita injunxi.

Subscribet se Commissarius, componet & obsignabit Rotulum; remittens illum, per certum à Partibus conducendum cursorem cum obligatione, ne ulli tradat aut communicet Rotulum, sed directè ad locum designatum referat, inscribendo exteriorem Titulum in hac Forma.

Rotus Inquisitionis in Causa N. N. ad Instantiam N.N. contra N. N. & contra (si est mutuus Actoratus) *expeditæ, aperiendus Die N. Mensis N. Anni præsentis, si tunc &c. aliàs &c. coram V. V. Officio Consistorii Pultoviensis: remittitur vg. Pultoviam.*

Actus verò expeditæ Commissionis sic vel similiter connotari poterit.

Negotium Examinis Testium & Inquisitionis nobis per literas Commissionis, è Cancellaria Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ, de data Pult: die N. Mensis N. anni currentis, in Personas nostras emanatas, Sigilloq; Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ communitas, in Causa inter N. Actorem ex una, & N. occasione N. N. Citatum, Partibus ex altera, nobis demandatum, eâ quâ decuit diligentiâ exequentes; Imprimis Literas Innotescentiales contra Partem adversam, & Citationis contra Testes præmisimus, quarum termino adveniente, ad locum loci, videlicet Villam N. descendimus, in Domo Plebanali vel Ecclesia, Sessionem Nostram Commis-

soria-

sorialem constituimus, ubi coram nobis personaliter comparens N. Actor, reproductis Literis Commissionis supradictæ, necnon exhibitis Literis Innotescentialibus legitimè [ut apparebat] executis, Jurisdictionem nostram Commissorialem in DEI Nomine fundari, nos Judices competentes Causæ & Partibus pronuntiari, Processumq; ulteriorem decerni debita cum Instantia petiit & postulavit. In præsentia N. Citati ex adverso Principalis in fundationem Jurisdictionis consentientis. Vel, *cùm DD. Commissarii sint sibi infensi,* vel *à Superiore inhibiti, prout authenticè deduxit, à fundatione Jurisdictionis supersederi petentis. Nos verò Commissarii infrà scripti auditis Partium, Actoreæ instantiis, Citatæ verò consensu; Jurisdictionem Commissorialem in DEI Nomine fundavimus, nos Judices competentes Causæ & Partibus pronuntiavimus; Processum ulteriorem decrevimus.* Vel. *Nos Commissarii, eò quòd præposterè exceptiones contra fundationem Jurisdictionis inferuntur.* Vel. *Non obstantibus uti frivolis & tergiversatoriis Exceptionibus Jurisdictionem &c. ut supra, fundavimus. Tandem Actor procedendo ulteriùs Testes videlicet N. N. legitimè Citatos induxit, petens Ipsos prævio juramento examinari, juxta Interrogatoria, quæ in scriptis produxit. Præsente N. Citato, ex adverso Principali contra N. quòd sit infamis, contra N. quòd sit inimicus, contra N. quòd sit Domesticus excipiendo, Ipsosq; à deponendo Testimonio reijci petente, & Testes pro parte sua videlicet N. N. legitimè Citatos inducente,*

te, ipsosq; ad Juramentum admitti, & juxta Interrogatoria, quæ itidem produxit, examinari petente. In contrarium Actor domestica facta, domesticis probari Testibus debere, tùm suspicionem facilè per Juramentum purgari posse replicavit, & ut supra institit; Contra verò Personas Testium per Citatum inductorum videlicet contra N. quòd sit interessatus, contra N quòd sit Consanguineus &c ideòq; eosdem à deponendo Testimonio rejici. Vel. *quantùm verò attinet Testes per Citatum inductos salva exceptione tam contra Personas, quàm contra dicta eorum, coram Judicio Illustrissimi Delegantis, utriq; Parti reservatis admisimus.* Vel. *Auditis Partium Controversiis & defensis ab utrinq; illatis, eo attento, quòd domestica facta domesticis debeant probari Testibus, aliterq; veritas haberi non posit, omnisq; suspicio contra Testem resultans facilè per Juramentum purgetur.* Vel. *quòd exceptio præfata in continenti non probetur.* Vel *non obstantibus exceptionibus per N. illatis, uti frivolis & tergiversatoriis, supràscriptos Testes admisimus, receptoq; ab eis solito de dicenda veritate Juramento, ad Partis utriusq; Interrogatoria examinavimus. Et quidem primus Testis N.* &c. ut suprà sonat Instructio post examen Testium.

Quæ omnia fideliter conscripta & connotata, manibusq; Commissariorum propriis subscripta, sigillisq; eorum munita, remittuntur Pultoviam, terminusq; Partibus ibidem coram sua Illustrissima Celsitudine, sive e-

jus

jus Judicio comparendi dies N. Mensis N. anni currentis, Partibus præfigitur & assignatur.

CAPUT XLVII.
De Observantia Statutorum Synodi.

SCimus, quòd hujusmodi salutaria monita Nostra, per Synodum evulgata facient *amaricari ventrem* nonnullorum, eò quòd animi passionibus resistant, atq; morbis, ast omninò sumenda sunt, cùm *legem* contineant, quam DEUS & conscientia, Vicaria Potestas scripsit, *mandavitq; custodiri nimis.* Nihil hìc novi adstruimus, sed innovamus id, quod sæculis jam notum est. Præceptum ponimus, quà Pastorem agimus; consilium, quà charitatem erga Diœcesanas Ecclesias, ejusq; populum demonstramus. Utiq; quando mandatur, adest Authoritas, quando commendatur, prælucet charitas, & mandato quidem respondet obedientia, consilio autem fides, consilium suscipitur ad placendum, mandatum autem ad non displicendum. Ac proinde Paternè commonefacimus universos, ut hæc Ordinatio Nostra Synodalis, sit *quasi signum in manu, & quasi monimentum ante oculos* eorum; legant singuli! etsi fortè amaricata fuerit voluntas alicujus, hæc præcepta cum tabulis cordis conferat, & ibi patebit ei veritas, manifestabitur charitas,

Apoc. 10. v. 10.

Ps. 118. v. 4.

Exod. 13 v. 9.

tas, apparebit observationis necessitas, & hanc præcipiet conscientia, instillabit Statûs decentia, amor honesti, horumq; in defectu (quod absit) timor utinam filialis. Fiet tandem id, quod erat contrarium legi mentis, tanquam mel dulce in ore singulorum. Sed quia executio legis recenti memoria continuaq; inspectione indiget, hortamur omnes Parochos & Beneficiatos, ut præsentes Constitutiones postquam à prælo venerint, sibi non negligant procurare, ut faciliùs muneris sui debitum agnoscentes, Officio ac Statui proprio valeant respondere; DD. verò Archidiaconi & Visitatores nec non Decani Foranei attendant diligenter, ut omnia hæc Decreta Nostra iidem Beneficiati in fideli observantia teneant; & si aliquem non habentem ejusmodi Constitutiones invenerint, pœnis arbitrariis puniant.
Ps. 118. Interim *sit Pax multa diligentibus legem*, & qui hanc ser-
v. 165. vaverint, Benedictionem illis à DEO Omnipotente exoptamus.

ANDREAS EPISCOPUS.

GRA-

GRATIARUM ACTIO
In Conclusione Synodi.
Illustrissimo & Reverendissimo Domino
EPISCOPO.
à Perillustri & Admodùm Reverendo Domino PAULO DOMINICO DROMLER Uq; J. D. Canonico Cathedrali Plocensi & Pultoviensi dicta.

EXultavit nuper Plocia binis retrò lustris, & gratulata sibi ingressum Tuum Sæculis Dignissime Antistes, dùm sub regimine tanti Præsulis magnam sibi ominabatur felicitatem. Magis imò maximè hodiè Celsitudinem Tuam sibi gratulatur Pultovia, ibidemq́ congregati Ecclesiæ Plocensis Status, dùm Pastoralem solicitudinem de populo Pontificiæ Tuæ Potestati cælitùs commisso ita adimples, ut pro vero Optimi Pastoris Prototypo ab omnibus habearis. Sacrum hoc Concilium, quod in hac Majestate & Sapientia peregisti, nostrum omnium salus est. Quis cura-

num Tuarum molem plenè edisseret? quam in præsenti Synodo, lucro animarum intentus expressisti; profectò curæ illæ nihil aliud loquuntur, nisi ut qui benè valent, ita valeant, ut Medico non egeant, qui verò malè valent, Cælestis Medici gratiâ & Tua solicitudine curentur. Magnus Ille dictis & factis Cancellarius Regni Patruus Tuus Acta Dioecesanæ Synodi clausit, & jam hactenùs à quadraginta propè annis tumulata Spiritualis Concilii facies, in Te Præsul Vigilantissime è suis assurrexit umbris. Debet perennes Alma hæc Dioecesis gratias suis Præsulibus, Tuis Illustrissime Pastor Prædecessoribus, quod Illorum irrigata sudoribus, laboribus exculta, vigiliis custodita S. Fidem Romano-Catholicam constanter retinet atq; profitetur. Imples Antecessorum Tuorum vestigia meritorum paritate, temporum serie succedaneus, virtutum & honorum splendore antecedaneus; adeoq; in sana Doctrina conservanda, Disciplina Ecclesiastica promovenda nihil Tibi legum Zelatori, scelerum Extirpatori antiquiùs: cùm in fervore Apostolici Spiritûs id renovare in Grege Tuo, quod antiquatum; illud revocare, quod vetustate collapsum; illud redintegrare, quod antiquitate obliteratum; per Dioecesanæ Synodi absolutionem, cujus scopus unicus bonorum morum reductio: emendatio malorum, totam mentis Tuæ aciem direxisti. Præceperat supremum Numen in expiatori- Exod. 12. *um holocaustum offerri sibi hoedum, Tu Arietem Tuum Gentilitium; jam dudùm in victimam consecrâsti; imò Dignitatem Tuam pro Ecclesiâ & Patriâ in perpetuam hecatomben dedicâsti. Dioecesanum Pultoviense Seminarium amplam laudis, imò gratiarum actionis munificentiæ Tuæ porrigit materiam, dùm dotem illius non tantùm amplificâsti, sed inexhaustâ Tuâ liberalitate Domum pro instituendis Clericis è fundamentis erigere decrevisti. Lucet in*

Te

Te eximia in gubernando Clero, in regendo populo solertia, spectatur in DEUM religio, in templa pietas, in proximorum salutem zelus incomparabilis. Talis utiq; decebat, ut Nobis esset Pontifex, qui dispersa colligeret, confracta solidaret, disjuncta adunaret, Sanctis in hac Synodo sancitis legibus. Habes in me uno, o Gemma Præsulum! omnes, quotquot vides, Tuis acclines plantis. Exultat Cathedra cum suo Senatu, lætantur Collegiales, jubilat Clerus, populus, universiq; Fidelium Gregis Tui coetus, laudantes Nomen Domini, qui fecit nobiscum misericordiam suam, & vocavit nos in Concilio Sanctorum, ad audiendam & custodiendam vocem ejus. O! diem hanc omnibus Nobis, populisq; jucundissimam! diem expectatissimam, quam ut viderent, exultârunt in Spiritu Patres Nostri, nos vidimus, celebravimus & gavisi sumus. Verè Tibi Illustrissime Præsul & ex animo gratulamur, quod tantam omnibus lætitiam, Tuo vero Nomini laudem, id quod maximè Divinæ benevolentiæ argumentum est, Dominus Tibi reservaverit, quem Nos votis omnibus & precibus supplices exoramus, ut Te Patrem amantissimum, Pastorem vigilantissimum, Præsulem dignissimum, incolumem pro Ecclesiæ suæ commodo & incremento diutissimè conservet. Det Tibi DEUS, quod solus dare potest; addat annos de nostris etiam annis lectos. Det Tibi Orbis Polonus primos honores, quos mereris, non sit meta, quam non teneas, non annales, quos non impleas non anni, quos non vivas. Hoc Tibi nodernum vovet Concilium, à cujus vita Divûm honos, Ecclesiæ integritas, Patriæ libertas, Cleri norma, populi forma, nostrum demum omnium propendet salus.

 APPEN-

APPENDIX ad SYNODUM.

Anni MDCCXXXIII.

I.

Bulla Clementis XI. confirmans & amplians Constitutionem Pauli III. de Privilegiis Neophytorum quò ad Bona temporalia cum aliis ordinationibus pro faciliori Infidelium ac præsertim Judæorum conversione

Citata sub Cap. III. de Judæis.

CLEMENS EPISCOPUS
Servus Servorum DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRopagandæ per universum Terrarum Orbem Christianæ Fidei, cujus illibatum ac perenne depositum Romana imprimis servat Ecclesia, pro commissi Nobis Apostolici muneris debito jugiter intendentes, dùm in remotissimas quasq; partes Evangelii Præcones ablegare

re satagimus, in eam simul curam diligenter incumbimus, ut quicunq; dejectis infidelitatis tenebris ad verum Justitiæ solem, qui Christus est, agnoscendum eo adjuvante festinant, nullis quò ad fieri potest, humanarum rerum obstaculis impediantur, sicq; ad Catholicæ Ecclesiæ gremium ex omni natione, quæ sub cælo est, eò frequentior, quò facilior expediatur accessus.

§. I. Quamvis enim non temporalium rerum commodo, sed æternæ potiùs hæreditatis intuitu ad suscipiendam Christi Fidem Infideles allici oporteat, quin etiam edoceri præcipuam Christiani hominis gloriam in eo maximè sitam esse, ut terrena despiciat, existimetq; omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU Christi Domini Nostri; nihilominùs rationi congruum, & piæ Matris Ecclesiæ institutis consentaneum arbitramur, ita Paternam Nostram erga eos, qui adhuc in fide parvuli, lacte potiùs quàm cibo solido nutriendi sunt, providentiam temperare, ut infirmiores quiq; à Christianæ Religionis proposito, amittendarum facultum, incurrendæq; prorsùs miseræ egestatis horrore non retrahantur: cùm potiùs juxta Canonicas sanctiones eos, qui ad Fidem veniunt, melioris conditionis esse oporteat post Baptismum, quàm, antequam Fidem susciperent, haberentur, & in illis etiam impleri debeat Christi certa promissio: quærite primò Regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis.

§. II.

§. II. Quam quidem ob causam complures Romani Pontifices Prædecessores Nostri pro tradita sibi divinitùs in iis, quæ ad ejusdem Sanctæ Fidei favorem & propagationem pertinent, Apostolica potestate, multa in Neophytorum commodum Privilegia concesserunt, aliis quoq; additis ordinationibus, quibus & indemnitati ipsorum, & Christianæ Religionis dignitati, & faciliori simul Infidelium conversioni consultum foret; præcipuè verò fel: rec: Paulus Pp. III. Apostolicam Constitutionem edidit in hæc verba, videlicet:

§. III. Paulus Papa Tertius. Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes Judæos & alios Infideles quoslibet ad Fidem Catholicam converti, & prætextu bonorum per eos antea possessorum ab eadem Fide non distrahi, motu proprio, & ex certa nostra scientia, Authoritate Apostolica tenore præsentium hac in posterum valitura Constitutione sancimus, quòd cuicunq; eorundem Judæorum & infidelium ad dictam Fidem converti volenti, etiamsi in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcunq; tam mobilia, quàm immobilia intacta & illæsa permaneant. Ita ut etiam Filiifamilias & in patria potestate, ut præfertur, constituti, legitima & quacunq; portione bonorum patrimonialium aut maternorum eis de jure, seu successione bonorum eis aliàs debitorum per eorum Parentes fraudari, aut privari non possint, neq; debeant, sed eis integrè, etiamsi con-

contra voluntatem Parentum ſuorum ad fidem ipſam converſi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus debeantur.

§. IV. Etſi bona ipſa ex uſura, aut illicito quæſtu fuerint acquiſita, & notæ ſint perſonæ, quibus eorum fuerit de Jure facienda reſtitutio (quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur malè ablatum) illa eisdem perſonis omninò reſtituantur; perſonis verò non extantibus prædictis, quia bona ipſa eſſent per manus Eccleſiæ in pios uſus convertenda, bona hujusmodi eisdem Judæis & aliis infidelibus in favorem ſuſcepti Baptiſmatis, tanquàm in pium uſum liberè concedimus, eaq; apud ipſos ſic converſos Judæos & alios infideles remanere decernimus. Interdicentes ſub Divini anathematis pœna, quibusvis tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus perſonis, ne ullam ſuper bonis hujusmodi quovis quæſito colore moleſtiam inferant, aut inferri patiantur, ſed magnum ſe feciſſe lucrum exiſtiment, dum tales Chriſto lucrati fuerint.

§. V. Et quoniam ùt ſcriptum eſt, qui habuerit ſubſtantiam mundi hujus, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò charitas DEI manet in ipſo? ſi ipſi converſionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam Eccleſiaſticos, quàm Sæculares, per viſcera miſericordiæ DEI Noſtri exhortamur, ut ipſis converſis manus por-

rigant adjutrices: ipsi quoq; Diœcesani non solùm Christianos ad subveniendum ipsis exhortentur, sed etiam tam de redditibus Ecclesiarum, prout poterunt, quàm de his, quæ ad pauperum usus per ipsos convertenda devolvuntur, hujusmodi Neophytos sustentare non negligant, ipsosq; à detractionibus & contumeliis paterna affectione defendant.

§. VI. Et quoniam per gratiam Baptismi Cives Sanctorum & Domestici DEI efficiuntur, longèq; digniùs existit regnare spiritu, quàm nasci carne, eadem Constitutione statuimus, ut Civitatum & locorum, in quibus Sancto Baptismate pro tempore regenerabuntur, verè Cives sint & privilegiis, ac libertatibus & immunitatibus, quæ alii ratione nativitatis, & originis duntaxat consequuntur, gaudeant.

§. VII. Curent insuper Sacerdotes baptizantes, & alii de Sacro fonte eos suscipientes, tam ante Baptismum, quàm post, illos in Articulis Fidei, ac Legis novæ præceptis, Catholicæq; Ecclesiæ ritibus diligenter instruere, & tam ipsi, quàm Diœcesani operam dent, ne cum aliis Judæis seu Infidelibus, saltem per longum tempus conversentur, ne sicut quandoq; contingit, ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam damnationem, recidivam efficiat.

§. VIII. Et quoniam experientiâ teste compertum est mutuam ipsorum Neophytorum inter se conversationem,

nem, ipſos in fide noſtra fragiliores reddere, ac ſaluti ipſorum plurimùm officere, hortamur locorum Ordinarios, ut quantùm pro incremento fidei viderint expedire, curent & ſtudeant Neophytos ipſos cum originariis Chriſtianis Matrimonio copulare.

§. IX. Et prohibeant eisdem ſub gravibus pœnis, ne mortuos more Judæorum ſepeliant, aut Sabbata aliasq; ſolennitates & antiquæ ſectæ ritus quoquo modo obſervent, ſed & Eccleſias & prædicationes, prout alii Catholici, frequentent, & in omnibus Chriſtianorum moribus ſe conformes reddant.

§. X. Contemptores autem prædictorum per Sacerdotes, in quorum Parochiis degent, aut alios, ad quos de jure vel antiqua conſvetudine de talibus inquirere ſpectat, aut etiam per alios quoſcunq; Diœceſanis ſeu Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis deferant, & invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis, per eos taliter puniantur, quod aliis tranſeat in exemplum. Et inſuper de his omnibus in Provincialibus & Synodalibus Conciliis diligens fiat inquiſitio, & tam circa Epiſcopos, & Sacerdotes in præmiſſis negligentes, quàm ipſos Neophytos, & Infideles prædictos contemptores opportunum adhibeatur remedium.

§. XI. Si quis autem cujuscunq; gradûs vel præeminentiæ fuerit, hujusmodi Neophytos, ne obſervationem Ritûs Chriſtiani, & aliorum præmiſſorum comple-

ctantur, foverit, aut defenderit, pœnas contra fautores Hæreticorum promulgatas ipso facto incurrat; Neophyti verò si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, & ad vomitum judaizantes redire comperti sint, contra eos, tanquam perfidos Hæreticos, per Ordinarios locorum secundùm sacrorum Canonum instituta procedatur.

§. XII. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis Privilegiis, indultis, & literis etiam Apostolicis, seu etiam Regiis, vel Imperialibus, eisdem Judæis, vel Infidelibus quomodolibet concessis, quæ quatenùs in detrimentum Catholicæ Fidei, aut Nominis Christiani, seu aliquorum ex præmissis, quomodolibet vergant, & ad effectum præsentium, cassamus & irritamus, ac cassa & irrita esse decernimus, aliis decretis, & Constitutionibus Apostolicis, quæ super præmissis sunt condita, in suo robore duraturis.

§. XIII. Et, ut hujusmodi Sanctæ Constitutionis jugis memoria habeatur, & ne quisquàm ipsius ignorantiam prætendere possit, illam per singulas Cathedrales & Collegiatas Ecclesias, aliaq; pia loca, in quibus uberior erit Fidelium concursus, semel in anno ad minus infra divina publicari volumus & decernimus.

§. XIV. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæq; loca deferre, volumus, & etiam declaramus, quòd earundem præsentium transsumptis seu Copiis, etiam im-

impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, ubicunq; forent exhibitæ vel extensæ;

§. XV. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 21. *Martii*. Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatûs Nostri anno octavo:

§. XVI. Nos igitur, ne tam salubris Constitutionis memoria temporis diuturnitate deficiat, & observantia neglectu cujuspiam obsolescat, aut etiam fidei hostium dolo, notitia converti volentibus supprimatur, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, & Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus hujusmodi negotium commisimus exponendum, consilio, atq; etiam motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione, Nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine eandem præinsertam Constitutionem, omniaq; & singula in ea contenta tenore præsentium confirmamus, approbamus & innovamus, eamq; ab omnibus ad quos pertinet, inviolabiliter observari perpetuis futuris temporibus debere statuimus & mandamus;

§. XVII. Simulquè ad omnis dubitationis umbram penitùs removendam, eadem à memorato Paulo Prædecessore Statuta clariùs explicantes, & quatenùs opus sit,

ſit, etiam ampliùs extendentes, bona quælibet adventitia, quocunq; modo talia cenſeantur, ad filios familias Chriſtianam Religionem profitentes, utpote à Patriæ poteſtatis jugo, quo Parentibus infidelibus ſubdebantur, Sacri Baptiſmatis beneficio prorsùs exemptos, pleno jure ſpectare, neq; ſuper illis uſum fructum, aut aliud quodcunq; Jus præfatis parentibus, quamdiu in infidelitate permanſerint, ullo modo competere; è contra verò parentes ipſos, aliosquê quoscunquê, qui converſis, eorumq; deſcendentibus, aliàs alimenta, ſeu dotem præſtare quocunq; titulo, etiam in ſubſidium tenerentur, ad eadem alimenta, ſeu dotem illis ſubminiſtranda pariter teneri, & obligatos eſſe poſt converſionem eorum, ſimiliter tenore præſentium declaramus, atq; etiam ex integro ſtatuimus, decernimus & mandamus.

§. XVIII. Et quoniam Infidelium, ac præ cæteris Judæorum, malitiam, eô usquê in odium Chriſtiani nominis proceſſiſſe pluries compertum eſt, ut bona ſua occultando, ſeu in alios transferendo, vel aliàs de illis inter vivos, vel etiam in ultima voluntate diſponendo, Filios aliosq; Conſanguineos ad Chriſti fidem converſos eorundem bonorum ſucceſſione, ad quam ab inteſtato legitimê admittendi fuiſſent, aut etiam ſpe ſucceſſionis ejusdem fraudare tentaverint; Idcirco Nos rec. mem: Gregorii Pp. XIII. Prædeceſſoris Noſtri, qui per ſuas quasdam ſub annulo Piſcatoris die 13. *Septembris* 1581. Pon-

Pontificatûs sui anno decimo datas literas, hujusmodi malo, utpote in Christianæ Fidei detrimentum cedenti, occurrendum meritò censuit, vestigiis inhærentes, Judæos quoslibet, sicut & alios Infideles, bona sua & Jura quæcunq; in præjudicium filiorum, aut aliorum consanguineorum, qui aliàs ipsis ab intestato decedentibus successuri essent, & Christianam susceperint Religionem, quocunque modo alienare seu occultare, vel diminuere inter vivos, aut in qualibet ultima voluntate non posse; sed potiùs eadem bona & jura quæcunquè (tradita statim post Baptismum legitima quibuscunquè aliàs post obitum competeteret eorundem) integrè conservare teneri & obligatos esse; tamq; ipsos quàm alios bonorum eorundem detentores, vel occupatores ad illa, seu eorum rationes quoties opus fuerit, exhibenda, & de eisdem Inventarium legitimè faciendum, & de utendo & fruendo arbitrio boni viri, cavendum, opportunis Juris & facti remediis compelli posse, atq; in eorum bonis & juribus, si in infidelitate decesserint, ipsorum filios, seu alios quoscunq; consanguineos, ùt præfertur, Christianos eodem prorsùs modo & jure, nulla etiam obstante ingratitudinis, aut alia quantùmvis legitima exhæredationis causâ, quam ob suscepti postea Baptismi venerationem, sublatam prorsùs esse volumus, succedere debere, ac si iidem Judæi, seu alii Infideles, nullum fecissent aut ordinâssent testamentum, vel aliam ultimam

mam voluntatem; omnesquè & singulas bonorum & jurium, sive inter vivos, sive in ultima voluntate, alienationes, distractiones, aut alias dispositiones prædictas in hujus Nostræ Constitutionis fraudem, & in odium Christianæ Fidei factas, seu potiùs attentatas, censeri, ac nullius propterea roboris & momenti esse, motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium sancimus, decernimus, & ordinamus.

§. XIX. Cæterùm ne dum provida solicitudine temporalia Conversis ad Fidem commoda comparamus, Spirituale animarum lucrum negligere videamur in convertendis; quemadmodùm Infideles cæteros, qui longè sunt, Sacris Missionibus institutis, Evangelica prædicatione instruere non cessamus; ita de Judæis etiam, qui magno numero inter Christianos vivunt, & nostris quodammodò oculis obversantur, æterna salute procuranda præcipuè cogitamus. Tristitia enim nobis magna est, (fidenter cum Apostolo dicimus) & continuus dolor cordi nostro, dum paterni amoris visceribus misereamur Israëliticam gentem, olim DEO amabilem populum, quem elegit Dominus in hereditatem sibi, & custodivit quasi pupillam oculi sui, nunc autem (postquàm Judaica in summum sceleris erumpente perfidia, verè iratus est furore Dominus in populum suum, & usq; in finem abominatus est hereditatem suam) velut gregem sinè Pastore dispersum per invia quæque, & inaquo-

aquoſa miſerè divagantem, ac Verbi DEI, quod illi unicum ſupereſt, ſalutari pabulo deſtitutum, ſolo ſcilicet literæ, quæ occidit, à Judæis cortice deguſtato, Spiritu verò qui vivificat, ab animalibus hominibus non percepto.

§. XX. Propterea ad eosdem Judæos in Sanctæ fidei veritate ſalubriter erudiendos, & trahendos ad Chriſtum, ea omnia & ſingula, quæ de ſacris lectionibus, ſeu ſermonibus per ſingulas hebdomadas ad ipſos, ubicunq; eorum Synagogæ fuerint, habendis, memoratus Gregorius Prædeceſſor Noſter in aliis ſuis, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto, kalendis Septembris, Pontificatûs ſui Anno tertiodecimo, editis Apoſtolicis Literis, quarum tenorem pro expreſſo in præſentibus haberi volumus, ſapienter conſtituta ſunt, ab omnibus, ad quos pertinet, inviolatè ſervari, & ſicubi in deſvetudinem abiêrunt, in uſum revocari præcipimus & mandamus; Concionatores omnes, qui ad id munus electi fuerint, ſpecialite radmonentes, iisq; etiam in Nomine Domini diſtrictiùs injungentes, ut memoratos Judæos non injuriis, contumeliis, aut nimia verborum aſperitate, quibus in Judaica magis perfidia obfirmarentur, ſed charitate potiùs & manſvetudine, quam mitis nos & humilis corde Chriſtus edocuit, velut oves errantes ad Sanctæ Eccleſiæ caulas ſvaviter allicere, & patefacta ex veterum potiſ-

ſimùm quas venerantur ſcripturarum oraculis, Chriſtianæ veritatis luce, velamen ab oculis eorum detrahere omni ſtudio ſatagant, ut ex Judaicæ pravitatis tenebris, quibus obſcurati ſunt oculi eorum, ne videant, DEI Omnipotentis operante virtute, liberentur.

§. XXI. Poſtremò Judæos omnes, cæterosquè Infideles quoscunquè, qui ad Baptiſmi gratiam, DEO donante pervenerint, omnibus Eccleſiarum Prælatis, ac ſæcularibus etiam Principibus per miſericordiæ DEI noſtri viſcera commendamus, ut eos patrocinio foveant, Authoritate adjuvent, potentiâ tueantur, nequè ab aliis, præſertim verò à Judæis, aut quibusvis Infidelibus ulla in re indebitè vexari patiantur; Univerſosq; ubiquè Terrarum Chriſti Fideles in Unigeniti Filii DEI, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti, cujus vice fungimur, nomine hortamur & obſecramus, ne venientes ex Infidelitate præſertim pauperes, deſpiciant, aut averſentur; ſed potiùs novella hujusmodi Eccleſiæ germina officiis ac beneficiis, prout quisquè poterit excolere, & irrigare non deſint, atquè ut veros in Chriſto fratres, ac domeſticos Fidei effectos benignè excipiant, in neceſſitatibus ſublevent, & omni demum Chriſtianæ charitatis genere proſequantur; ut de ſuſcepto Sanctæ Fidei propoſito gaudium ipſorum ſit plenum, & exultatio, iis verò, qui foris ſunt, & adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad ejusdem Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium properandi deſiderium excitetur.

§. XXII.

§ XXII. Decernentes easdem præſentes Literas etiam ex eo, quòd quicunquè in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes eisdem non conſenſerint, aut vocati ſeu auditi non fuerint, aliaq; quavis de cauſa quantùmvis legitima, & Corpore Juris clauſa, de ullo ſubreptionis vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocunquê defectu notari, impugnari, vel in controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci nullatenùs poſſe, ſed ſemper & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & ab iis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicquè per quoscunquè Judices Ordinarios & Delegatos quavis Authoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de Latere legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & Authoritate ubiquè judicari & definiri debere; irritum quoq; & inane, quidquid ſecus ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis, vel circa ea à quoquam quavis Authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. XXIII. Non obſtantibus de Jure quæſito non tollendo, ac cæteris noſtris, & Cancellariæ regulis, aliisq; Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam Conciliaribus, necnon aliis quibuslibet, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, aut alia quavis fir-

mitate roboratis Statutis, consvetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoquè, indultis, & literis, etiam Apostolicis, seu etiam Regiis & Imperialibus, eisdem Judæis, vel Infidelibus quibuslibet singulis, aut eorum universitatibus quomodolibet, & ex quibusvis causis, etiam publicis, gravissimis, & urgentissimis, atquè etiam titulo oneroso, & vim contractûs hinc inde obligatorii inducente concessis, quæ quatenùs in detrimentum Catholicæ Fidei, quam humanis quibusquè rationibus quicunquè debet præferre Christianus, quomodolibet vergant, & ad effectum duntaxat præsentium cassamus & irritamus, ac cassa & irrita esse decernimus, aliisq; omnibus sub quibuscunquè verborum tenoribus & formis, quomodolibet in contrarium præmissorum editis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumquè totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac dero-

derogatum esse volumus, cæterisq; contrariis quibuscunquè.

§. XXIV. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus innotescant, quibuscunquè locorum Ordinariis, in quorum Diœcesibus aliqua Judæorum Synagoga, aut notabilis aliorũ Infidelium numerus reperiatur, injungimus & mandamus, ut ea omnia, quæ à nobis ut præfertur, constituta & ordinata sunt, ad eorundem Judæorum, aliorumvè Infidelium notitiam quotannis semel seu pluries, & eo modo, qui iisdem Ordinariis opportunior visus fuerit, sermone vernaculo deduci faciant, & in memoriam revocari; atquè ut nemo prorsùs earundem Literarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, ac præfatæ Cancellariæ Apostolicæ, Curiæquè Generalis Innocentianæ, necnon in acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, prout moris est, publicentur, & affigantur, quæ sic publicatæ & affixæ omnes, & singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

§. XXV. Quodquè illarum transsumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§. XXVI. Nulli ergò omnino hominum liceat paginam hanc Noſtræ confirmationis, approbationis, innovationis, declarationis, extenſionis, Statutorum, decretorum, mandatorum, ſanctionis, ordinationis, præceptorum, admonitionis, commendationis, irritationis, caſſationis, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei caſu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo quarto. Quinto Idus Martii, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

J. Card: Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia C. A. Fabronus.

Philippus Porta.

Loco † Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti Milleſimo ſeptingenteſimo quarto, Indictione XII. die verò undecima Martii, Pontificatûs autem Sanctiſſ: in Chriſto Patris & D. N. D. CLEMENTIS Divinâ Providentia Papæ XI anno quarto, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſvetis Urbis, per me Sebaſtianum Vaſellum SS. D. N. PP. Curſorem.

Pro D. Magiſtro Curſorum Thomas Orlandus Curſor.

II.

II.

Reſcriptum Sereniſſimi Regis glor: mem: AUGUSTI II. de Sagis pro Diœceſi Plocenſi.

Cit: ſub Cap. IV. de Sagis.

AUGUSTUS Secundus, DEI Gratiâ Rex Poloniæ Magnus Dux Litvaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæq́ necnon Hæreditarius Dux Saxoniæ & Princeps Elector.

UNiverſis & ſingulis, quorum intereſt, præſertim Magiſtratibus quibusvis tam Caſtrenſibus, quàm Civilibus Majorum & Minorum, necnon Officiis Villanis in Diœceſi Epiſcopatûs Plocenſis conſiſtentibus, aliisquè quorum intereſt Gratiam noſtram Regiam. Quòd licet Conſtitutionibus Regni ac Statutis cautum ſit, ne Magiſtratus quivis Sæcularis in Cauſas ſagarum ſeſe ingerat, niſi priùs eædem Cauſæ à Judicio Spirituali cognitæ ac disjudicatæ fuerint. Nihilominùs relatum nobis eſt nonnulla Officia tam Civilia, quàm Villana, minùs notitiam ac ſcientiam ejusmodi Cauſa-

rum

rum habentia, in contrarium præfatarum legum ſeſe in Judicia ſagarum ingerere, multaquè inconvenientia inde patrari, hominesquè innocentes morte damnari; Hinc nos obviando ſimilibus caſibus, ac inhærendo Conſtitutionibus Regni, omnibus ac ſingulis Officiis, & quidem Civilibus ſub pœnis mille Hungaricalium, Villanis verò ſub pœna Colli ad Inſtantiam Inſtigatoris in Judicio quovis vindicandis inhibemus, ac ſeriò mandamus, ne ſe in Judicium ſagarum ingerant, niſi priùs eædem Cauſæ per Judicium Spirituale prædictæ Diœceſis Plocenſis diſcuſſæ & disjudicatæ, & ad Judicia eorum remiſſæ fuerint. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo Regni communiri juſſimus. Datum Varſaviæ die XXV. Menſis Aprilis Anno Domini M.DCC.XXVII. Regni verò noſtri XXX. Anno. AUGUSTUS Rex. Locus Sigilli. Reſcriptum ad Civitates, Oppida, & Villas Diœceſis Plocenſis de non comburendis ſagis. Andreas Franciſcus Cichocki S. R. Majeſtatis Secretarius. manu propria.

III.

A K T Y.

Ktore przed Kommunią S. z ludźmi do Kommunii S. przyſtępuiącemi, tákże y po Kommunii S. ták w Kościołach iáko też kiedy chorym Wiatyk Przenayświętſzy adminiſtrowáć będą, powinni Plebani pod obowiązkiem ſumnienia odpráwowáć.

Cit. ſub Cap. XV. de Euchariſtia.

Pa-

PAnie JEZU Chryſte BOZE y Zbáwićielu moy wierzę mocno, iż w Przenayświętſzym SAKRAMENCIE, ktory przyimowáć mam, ieſt prawdźiwe Ciáło, Krew, Duſza y Boſtwo Twoie pod oſobami chleba: á to wierzę iáko y inſze Artykuły Wiáry świętey, żeś to ſam obiáwił y do wierzenia podał.

Kłániam ſię Tobie iáko Naywyżſzemu Pánu moiemu, y iáko Stworcę moiego, cáłym ſercem moim wyznáwam y adoruię.

Dźiękuięć o BOZE moy zá wſzelákie Dobrodźieyſtwa Twoie, á oſobliwie zá poſtánowienie tego Nayświętſzego Sákrámentu: Záco niech Cię wſzyſcy Aniołowie, wſzyſcy Swięći y Stworzenia Twoie chwálą y błogoſłáwią ná wieki.

Mám nádźieię w dobroći y Miłośierdźiu Twoim, że dáwſzy mi śiebie ſamego, daſz mi też odpuſzczenie wſzyſtkich grzechow moich, łáſkę Twoię y wiekuiſtą chwáłę, o ktorą Cię przez záſługi Twoie, Mękę, Krew y śmierć Twoię iáko naypokorniey upráſzam.

Miłuię Cię o BOZE moy z cáłego ſerca, y z cáłey duſze moiey. Załuię o BOZE moy, żem ćię BOGA moiego nieſkończoney dobroći kiedyſzkolwiek obráźił. Brzydzę ſię wſzyſtkiemi grzechámi moiemi, mam ſtáteczną wolą iuż ſię do nich niewracać, zá pomocą łáſki Twoiey świętey, o ktorą Cię gorąco proſzę. Wyznáwam o BOŻE moy niegodność moię do przyięćia Ciebie BOGA

moiego; dla tego ſkruſzonym ſercem do Ciebie wzdycháiąc mowię: Pánie nie ieſtem godźien &c.

AKTY po KOMMUNII

WIerzę o BOZE moy, żeś Ty ſam, ktoryś przez dźiewięć mieśięcy w Zywoćie Przenayświętſzey Boga-Rodźice Pánny zoſtáwał; ktoryś dla mnie ná Krzyżu umarł; ktory teraz w Niebie z Oycem y z Duchem Swiętym kroluieſz, ieſteś teraz práwdźiwie y iſtotnie w wnętrznośćiach moich. Adoruię iáko Páná y BOGA moiego. Ofiáruięć ná dźiękczynienie zá ták wielkie dobrodźieyſtwo, cokolwiek dobrego od początku świáta ſtáło ſię, y aż do ſkończenia dźiać będźie.

Miłuię ćię z cáłego ſerca mego, y miłować ćię aż do śmierći y przez cáłą wieczność pragnę. Oddáięć ſię cále ná wolą Twoię z ciáłem y duſzą moią, niech ſię zemną, we mnie, przezemnie wſzyſtko ſtánie według woli Twciey świętey. Tu mnię śiecz, tu mnię karz, tu mnię pal, tu nieprzepuſzczay, byleś przepuśćił ná wieki.

Niech będźie pochwálony Przenayświętſzy SAKRAMENT, teraz y ná wieki wiekow Amen.

Kiedy Choremu adminiſtruie kommunią S. przyda naſtępuiące Akty.

Ofia-

OFiáruię́ć o BOZE moy tę chorobę moię, wszystkie boleśći, wszystkie trudnośći y przykrośći moie zá grzechy y niepráwośći moie, łącząc to wszystko, cokolwiek ćierpię y ćierpieć będę aż do ostátniego tchu żyćia moiego, z niewinną Męką y gorzką śmierćią Twoią. Proszę ćię o BOZE moy o ćierpliwość y stosowánie się do woli Twoiey we wszystkich boleśćiach moich, á nádewszystko przez Krew Twoię, przez Rány y Krzyż Twoy, pokornie proszę, á żebym w łásce Twoiey skonać y umrzeć mogł.

Te Akty przed Kommunią y po Kommunii S. przepisać, y ná Táblicy iákiey przykleić, álbo przybić powinien Pleban, y mieć záwsze pogotowiu przy Ołtárzu, kędy Przenayświętszy Sákráment do Kommunii záchowuie się, áby ich kiedy tego potrzeba, mogł mieć nápogotowiu.

IV.

Klatwy Pápieskie in Bulla Cænæ Domini wyrážone, ktore co Rok w Wielki Czwártek w Rzymie od Oyca S. publikowáne bywáią, a według Concilium Prowincyalnego, z roskázánia Náßego dwa rázy do Roku, w pierwßą Niedźielę Adwentową, drugi raz w pierwßą Niedźielę Postu, po Páráfiach tákże publikowane bydź máią.

Cit. sub Cap. XVIII. de Pœnitentia.

NAprzod Jmieniem Boga Wszechmogącego, Oyca, y Syna, y Ducha S. władzą Apostołow Piotra y

Páwla y Pápieſką, wſzyſcy Heretykowie, Sektárze, od Wiáry S. Apoſtátowie, Schizmátycy, y ći, ktorzy od poſłuſzeńſtwa Rzymſkiego Pápieża upornie odſtępuią: tákże wſzyſcy Heretykow Fautorowie, obrońcy, onym wiárę dáiący, tákże kśięgi Heretykow błędy w ſobie záwieráiące, álbo o wierze tráktuiące, bez pozwolenia Pápieſkiego trzymáiący, drukuiący, álbo one pod iákimkolwiek pretextem lub publicznie, lub potáiemnie broniący: Wyklęći ſą.

Po wtore Wyklęći ſą wſzyſcy y káżdy z oſobna, iákiegokolwiekby ſtánu, kondycyi, y godnośći byli, ktorzy od ordynácyi dekretow Pápieſkich do przyſzłego Generalnego Concilium appelluią, iáko y ći, zá ktorych pomocą, rádą, y ſprzyiániem te appellácye zánieśione były. Collegia záś, kápituły, Univerſitates, ktoreby ſię tego ważyć miáły, pod Interdykt Pápieſki podpádáią.

Po trzećie. Wſzyſcy Rozboynicy morſcy, y ich obrońcy, fautorowie, iáko y ći, co ich przyimuią.

Po czwárte. Wyklęći ſą wſzyſcy, ktorzy rzeczy Chrześciáńſkie ná Okrętach ná morzu álbo rozbitych, álbo z ſamych Okrętow, álbo ná brzegach znáyduiące ſię zábieráią, w czym żádne Privilegium, zwyczay, álbo by naydłuższego czáſu poſſeſſia, álbo inny iáki pretext exkuzowáć niemoże.

Po piąte. Wyklęći ſą wſzyſcy, ktorzy iákiekolwiek, nowe

nowe podatki kłádą álbo podnoszą, ieżeli ná to, od práwa albo od Stolice Apostolskiey pozwolenia niemáią, tákże y ći, ktorzy też podatki włożone álbo podnieśione wybieráią.

Po szoste. Wyklęći są wszyscy, ktorzy listy Pápieskie od Oyca S. álbo Kośćioła S. Podkanclerzow, álbo ich námiestnikow wydáne fałszuią, álbo inne zmyślone iákoby od nich podpisane pod Imieniem Pápieskim, lub zwyż pomienionych Officyalistow fabrykuią.

Po śiodme. Wyklęći są wszyscy, ktorzykolwiek do Saracenow, Turkow, y innych Chrześćiańskiego Imienia nieprzyiáćioł, Heretykow od Stolice Apostolskiey wyráźnie y w osobnośći wyrážonych donoszą, álbo dowożą, konie, żeláza, droty, cynę, stal, álbo insze iákie metalle y woienne rynsztunki, drzewa, konopie ná powrozy, álbo same powrozy do okrętow, lub inne iákie rzeczy, ktoremi Chrześćianow woiuią; iáko y ći, ktorzy przez się, álbo przez drugich o rzecz do stánu Chrześćiańskiey Rzeczypospolitey náleżących ná zgubę y szkodę Chrześćianow, teyże Chrześćiańskiey Wiáry nieprzyiáćiołom, Turkom, Heretykom, donoszą wiádomośći, y onymże pomoc, rádę, y fawor iákimkolwiek sposobem pokázuią.

Po osme. Wyklęći są wszyscy, ktorzykolwiek przeszkádzáią, ážeby żywnośći do Rzymu niedodáwáno, ktorzy tego dodáwánia zákázuią, przeszkody czynią,

álbo to czyniącym bronią, lub przez ſię lub przez innych iákieykolwiek kondycyi y godnośći, lub świeckiey lub Duchowney.

Po dźiewiąte. Wyklęći ſą wſzyſcy, ktorzy do Stolice Apoſtolſkiey idących, álbo z támtąd powrácáiących ſię, lub ſami przez ſię, lub przez drugich zábiiáią, kaleczą, odźieráią, łápáią, przytrzymuią; Jáko y ći, ktorzy w ſamym Rzymie, niemáiąc ná to żádney Jurisdikcyi toż ſamo czynić śmieią.

Po dźieśiąte. Wyklęći ſą wſzyſcy, ktorzy Romipetow álbo Pielgrzymow z nábożeńſtwa peregrinuiących, álbo tamże zoſtáwaiących lub powrácáiących, przez ſię ſamych lub przez drugich káleczą, zábiiáią, odźieráią, zátrzymuią, lub też rozbiiáią, iáko y ći, ktorzy pomocą, rádą do tego przykłádáią ſię.

Po iedenáſte. Wyklęći ſą wſzyſcy, ktorzy S. Kośćioła Rzymſkiego Kardynáłow, Pátryarchow, Arcy-Biſkupow, Biſkupow, Stolice Apoſtolſkiey Legátow, ábo, Nuncyuſzow zábiiáią, káleczą, ránią, łápáią, biią, wiążą, zatrzymuią, álbo po nieprzyiáćielſku prześláduią, álbo ich z Dyecezyi ſwoich, Páńſtw wyrzucáią, iáko y ći, ktorzy to roſkázuią, approbuią, álbo pomocą, rádą, lub ſaworem przykłádáią ſię.

Po dwánáſte. Wyklęći ſą wſzyſcy, ktorzy przez ſię álbo przez drugich Oſoby Duchowne álbo świeckie do Dworu Rzymſkiego w ſpráwach ſwoich ućiekáiące ſię,

álbo

álbo támże też ſpráwy promowuiące, tákże Adwokátow, Prokurátorow, Agentow, Audytorow, Sędźiow do tychże ſpraw deputowánych, z okázyi pomienionych ſpraw zábiiaią, biią, z dobr odźieráią, álbo lub przez ſię lub przez drugich wyráźnie, álbo potáiemnie, aliàs directè vel indirectè, podobne wyſtępki popełniać, exekwowáć, promowowáć, albo do tego pomocy, rády, fáworu śmieią y nieobawiáią ſię dodawáć, iákieykolwiekby byli præeminencyi y godnośći.

Po trzynáſte. Wyklęći ſą wſzyſcy ták Duchowni iáko y świeccy, iákieykolwiekby godnośći byli, ktorzy pod prætextem appellácyi od ućiążenia iákiego álbo przyſzłey exekucyi Liſtow Apoſtolſkich, náwet in forma Brevis do expedycyi Rzymſkich náleżących, tákże Pozwow, Inhibicyi, Proceſſow, Sequeſtrow, Dekretow od Stolice Apoſtolſkiey Legatow, Nuncyuſzow, y inſzych Sędźiow Apoſtolſkich, wydánych, álbo ktore ná potym wydane będą, do Sądow y włádzy świeckich ućiekáią ſię, y choć by zá inſtáncyą Fiſkalnego Prokuratora o przyięćie pomienionych appellacyi ſtáráiący ſię, á Liſty, Inhibicye, inne Dekreta Rzymſkie pomienione przeymuią; iáko y ći, ktorzy w cále niepozwálaią, albo bez pozwolenia ſwego nie dopuſzczáią, ażeby pomienione liſty do exekucyi przywiedźione były, ábo żeby piſarze Inſtrumentow do exekucyi tychże Dekretow ſpiſowáć, álbo opiſane wydawáć nieśmieli komu

nále-

należy, przeszkádzaią, y zákazuią, iako też y ci, ktorzy lub samych w sprawach swych, iáko y wyżey uciekáiących się, lub ich Agentow, pokrewnych, powinowatych, Przyiacioł, Pisarzow, Exekutorow, subexekutorow, pomienionych Dekretow Rzymskich łápaią, biią, ranią, do więźienia sadzaią, z Miast, Prowincyi, krolestw, swoich wypędzaią, dobra onychże odbieraią, przestraszaią, przegrażaią się, przez się albo przez inszych, publicznie albo sekretnie, iáko też y ci, ktorzy iákimkolwiek osobom w sprawach swoich, lub ná otrzymanie łask, do Rzymu, rekursu czynić zakazuią, albo żeby tychże łask y Listow Apostolskich nieotrzymali, niezażywali, iakimkolwiek sposobem zakazuią, przeszkadzaią, albo one, lub sami u śiebie, albo u Notaryuszow, albo Pisarzow publicznych, albo inszym iakimkolwiek sposobem zatrzymywać śmieią.

Po czternáste. Wyklęći są wszyscy, ktorzy lub przez się, lub przez drugich, wládzą własną pod prætextem iákieykolwiek exempcyi łask, sprawy Beneficialne, Dźieśięćiny, lub inne Duchowne, albo z niemi złączone od Auditorow, Kommissarzow, y innych Sędźiow Duchownych odćiągaią, y bieg onychże tamuią, y lub partykularnym osobom, lub kollegiom, kapitułom, klasztorom pomienione sprawy popieraiącym, przeszkodę czynią, w rozsądzeniu tych spraw iáko Sędźiowie udaią się, ktorzy także Aktorow przymuszaią, ażeby wydane

dane Pozwy, Inhibicye, Dekreta rewokowane były, albo, żeby, przećiwko ktorym klątwy y inſze kary w tych że Dekretach ferowane były, od nich uwolnieni byli; lub przez wyroki ſwoie, lub innym iakim ſpoſobem przymuſzaią; albo exekucyi Liſtow Apoſtolſkich, Proceſſu, Dekretow niedopuſzczaią; abo onymże iakimkolwiek ſpoſobem przeſzkadzaią; lubo do tego radą, pomocą, faworem, lub zezwoleniem przykładaią ſię: choćby to czynili pod pretextem niedopuſzczania iakiey wiolencyi, lub też udaiąc, aż wprzod do Oyca S. ſami lub przez ſię lub przez drugich ſupplikować będą; ażeby nas wtym informować mogli: chyba żeby podobne ſupplikacye przed Stolicą Apoſtolſką należyćie zaczęte popierali y promowowali. Ta zaś klątwa wydana ieſt na tych wſzyſtkich, ktorzyby ſię tego ważyć mieli, iakieykolwiek kondycyi, by naywyżſzey Duchowney y świeckiey.

Po piętnáſte Wyklęći ſą wſzyſcy ktorzykolwiek pod pretextem Urzędu ſwego, albo na Inſtancyą czyiąkolwiek Oſoby Duchowne, kapituły, klaſztory, kollegia, do ſądow ſwoich przećiwko dyſpozycyi Prawa Duchownego poćiągaią; albo żeby poćiągnione były, iakimkolwiek ſpoſobem roſkazuią albo ſtaraią ſię. Jako też y ći, ktorzy Ordynacye albo inſze Dekreta z iakieykolwiek przyczyny, albo pod iakim pretextem, lub zwyczaiu y przywileiu, lub inſzym iakim ſpoſobem ſtanowią,

publikuią, albo iuż uczynionych y poſtanowionych zażywaią, przez ktoreby wolność Duchowna znieśiona albo obrażona, lub iakimkolwiek ſpoſobem umnieyſzona być mogła, albo Prawom Stolice Apoſtolſkiey, albo inſzym Kośćiołom, iakimkolwiek ſpoſobem lub iawnie lub potaiemnie uſzczerbek iaki przynoſzą.

Po ßeſnáſte. Wyklęći ſą, ktorzy Arcy-Biſkupow, Biſkupow y innych tak wyżſzych iako y niżſzych Prałatow, albo Sędźiow Ordynaryinych, iakimkolwiek ſpoſobem więżąc ich Agentow, Prokuratorow, Przyiaćioł, Domowych, krewnych, Powinowatych, albo inakſzym ſpoſobem przeſzkadzaią, ażeby władzy y Jurisdikcyi ſwoiey Duchowney według Praw Kośćielnych, á oſobliwie S. Concilium Trydentſkiego zażywać niemogli. Jako też y ći, wyklęći ſą, ktorzy uchodząc Dekretow ſądu Duchownego, Sędźiow Ordynaryinych albo od nich deputowanych, do Kancellaryi Sądow y Trybunałow świeckich ućiekaią ſię, y od nich Inhibicye, zákázánia, álbo iákiekolwiek inne Dekreta, przećiwko tymże Sędźiom Duchownym, lub Sędźiom ordynáryinym, lub delegowánym otrzymuią. Tákże y ći, ktorzy przećiwko tymże Sędźiom, Dekreta, Inhibicye, wydaią, exekwuią, álbo do tego rádą, pomocą, protekcyą ſwoią y fáworem przykłádáią ſię.

Po śiedmnaſte. Tákże wyklęći ſą, ktorzy Jurisdykcye, Intráty, pożytki ták do Stolice Apoſtolſkiey, iáko

y do inſzych Oſob Duchownych, względem Kośćiołow, kláſztorow, y innych Duchownych Beneficyow náleżące ſobie przywłáſzczáią, álbo z iákieykolwiek okázyi y przyczyny, bez pozwolenia Rzymſkiego Pápieżá, álbo innych do tego władzą máiących, ſekweſtruią y odbieráią.

Po ośmnáſte. Wyklęći ſą, ktorzy kollekty, Dźieśięćiny lub iákiekolwiek inſze ćiężáry, ná Duchownych, Práłátow, álbo inſze Oſoby Duchowne, y ná ich Dobra, to ieſt do Kośćiołow, kláſztorow y inſzych Beneficya Duchowne náleżących, álbo ná ich intráty, pożytki, ćiężáry bez wyráźnego Oyca S. pozwolenia wkłádáią, álbo iákiemikolwiek ſpoſobámi,wynálázkámi wybieraią, álbo ták włożone choć od dobrowolnie dáiących odbieráią. Tákże y ći,ktorzy przez ſię y przez drugich pomienione rzeczy czynić,exekwowáć,y do nich ſię pomocą, rádą, álbo inſzym iákimkolwiek ſpoſobem przykłádáią.

Po dźiewiętnáſte. Tákże wyklęći ſą wſzyſcy Piſarze, Sędźiowie, Exekutorowie, ktorzy iákimkolwiek ſpoſobem wdáią ſię w ſpráwy głowne, álbo kryminalne przećiwko oſobom Duchownym one proceſſuiąc, z kráiow ſwoich wypędzáiąc, łápáiąc, álbo Dekreta przećiwko nim feruiąc, lub iuż ferowáne exekwuiąc bez wyráźnego y oſobliwego S. Stolice Apoſtolſkiey pozwolenia. Jáko y ći, ktorzy toż pozwolenie do oſob y przypadkow niewyrážonych poćiągáią, álbo onych źle záżywáią.

Ná ostátek. Wyklęći ſą wſzyſcy, ktorzy kroleſtwa Prowincye, Miáſta, y inſze kráie do Kośćioła Rzymſkiego náleżące, y tegoż Kośćioła Jurisdykcyi podległe, ſobie uzurpuią, one odbieráią, Jurisdykcyą tegoż Kośćioła mieſzać, y przeſzkádzać iákimkolwiek ſpoſobem wáżą ſię. Jáko y ći, ktorzy tákowym, pomoc, rádę, obronę, y iákąkolwiek protekcyą podáią.

Z tákich klątew nikt niemoże rozgrzeſzyć, boby wpádł w klątwę Pápieſką, tylko ſam Pápież, wyiąwſzy przy śmierći, ábo ći, ktorzy od niego máią náto oſobliwe pozwolenie, iáko to bywa pod czas miłośćiwego láta, y to zádoſyć uczynieniem, álbo zá wárunkiem otym doſyć uczynieniu.

Klątwy Pápieſkie Ordynáryine.

NAprzod w táką klątwę wpadáią, ktorzy Duchowne oſoby biią, ábo ránią y pomocnicy,

2. Tákże ktorzy do ſłużby Bożey przypuſzczaią wyklętych od Oyca Swiętego.
3. Tákże ktorzy ze złośći pálą, y wyłámuią Kośćioły y kláſztory.
4. Tákże ktorzy przy śmierći od klątwy Pápieſkiey rozgrzeſzeni, nie ſtáwili ſię Przełożonym ozdrowiáwſzy.
5. Także y Zákonnicy, ktorzyby ſię wáżyli adminiſtrować

wać Sákráment Małżeństwa, Oleu S. bez dozwolenia Plebana álbo Biskupa.

6. Tákże Kápłani y Zákonnicy, ktorzyby kogo námawiali, áby się u nich w Kośćiele chował.

7. Tákże ktorzy przymuszáią kápłany mieć Mszą w Interdykćie Kośćioła.

8. Tákże y ći, ktorzy się ważyli kogo rozgrzeszyć od ślubu, do Rzymu, do Jeruzálem, S. Jákuba, Czystośći y Zákonu.

9. Tákże y ći, ktorzy się wáżą co brać od przyimowánia do Klasztora dáwać.

10. Tákże ktorzy się dopuszczáią simonii w dostąpieniu Beneficia y Ordines.

11. Tákże ktorzy bez dozwolenia y przyczyn słusznych wchodzą do Pánien Zákonnych.

12. Tákże ktorzy przeszkádzáią, áby iákie dobra nie dochodźiły Duchownych, ktore im náleżą.

13. Tákże ktorzy poiedynki odpráwuią y pátrzą na nie.

14. Tákże ktorzy pálą domy, zboża, bywaią od Biskupa záklęći y publikowáni, tylko od Oyca S. bywáią rozgrzeszeni.

V.

Zápowiedź Stanu Kápłańskiego,

Cit. sub Cap. XXII. de Sacramento Ordinis.

POdáiemy do wiadomośći łaſk wáſzych, iż N. N. udáie ſię do ſtánu Duchownego, y chce ſię święćić ná Subdyakona, álbo Dyákona álbo Kápłána. Jeżeliby tedy kto z was wiedźiał o iákiey przeſzkodźie, dla ktoreyby niegodźiło mu ſię brać święcenia, niechże do mnie Plebana przyidźie, y to mi oznaymi, álbo też kto woli, do ſamego Jáśnie Wielmożnego JMśći Xiędza Biſkupa naſzego, álbo do ktorego Officyała. Zebyśćie zaś wiedźieli, ktore to ſą do ſtanu Duchownego przeſzkody, oto ie wam ná śćienie przy Zakryſtyi przybite dla czytania prezentuiemy.

Nie mogą być Kapłánámi.

1. KTorzy ſię z Heretykow, z Lutrow, Kalwinow, Schizmatykow, Zydow nienáwroconych do wiary świętey, urodźili, álbo ieżeli też ſami w taką wpádli byli herezyą.

2. Ktorzy ſą niedobrego łoża, także ći, ktorzy z tych, co Kapłana dobrowolnie zabili, y co z nich pochodzą, aż do czwartego pokolenia.

3. Ktorzy dwie Zony, albo iednę Wdowę, lub też nierządem ſię báwiącą mieli.

4. Ktorzy w iawnym iákim śmiertelnym leżą, albo leżeli grzechu, lubo to w cudzołoſtwie, lub w iákim inſzym nierządźie, albo ieżeli ſą krzywoprzyśiężcy, pijáni-

nice, kosterowie, buntownicy, zwádliwi, ktorzy się mszczą krzywd swoich, domy nachodzą; ktorzy fałszywe dali świádectwo, ktorych o krádźież pomowiono, ktorzy są o nierząd iáki podeyrzeni, ktorzy iáwną czynili pokutę, wszyscy infamisowie, banitowie, lichwiarze, ktorzy od pożyczenia zboża álbo pięnięd zy lichwę brali.

